



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

Quartus Liber

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

QUARTUS LIBER

ERUDITIONIS RELIGIO-

forum. In cuius prima parte agitur
de eruditione animi.

CAPVT I.

N præcedentibus ostensum est, quo-
modo is qui in religione est, se debeat
habere ad mundum, ad corpus pro-
prium, & ad inuisibilem aduersarium.
In hac parte ostendendum est quomodo debe-
at ordinare animum. Et primò ordinatio animi
commendabitur. Secundò agetur de diuer-
sis ordinationibus. Tertiò tangetur de aliqui-
bus inordinationibus. Circa primum notan-
dum, quòd ordinatio animi multum facit ad
pacem & tranquillitatem. Sicut lapis natura-
liter non quiescit sursum, imò tendit ad locum
sibi congruentem, & cum illuc peruenerit, qui-
escit: sic animus inordinatus non quiescit. Au-
gust. Minus ordinata inquieta sunt: ordinata au-
tem quiescunt. Idem in li. confes. Iussisti Domi-
ne, & sic est, vt pœna sibi sit omnis inordinatus
animus. Idem in lib. de Ciuit. Dei. Pax omnium
rerum, est tranquillitas ordinis. Ordinatio eti-
am multum facit ad decorem. Creatura ratio-
nalis ordinem suum seruans, est creaturarū pul-
cherrima. Si verò non seruat ordinem suū, tur-
pissima. Si ignoras te, ô pulcherrima inter mu-
lieres, egredere, & abi post vestigia gregū tuorū.
Anima dignitatē suam agnoscēs, nec secundum

Lib. 1. ca. 13.

Lib. 19. ca.
13. in prim.

Can. 1.

eam ordinem suum seruans, brutis inferior efficitur. Adeò facit ordo ad decorem, vt mala quæ in se sunt turpia, à Deo ordinata, bonorum pulchritudinem non impediunt, sed potius augeant: vel in veritate vel in apparentia. Augustinus in lib. de Ciuitate Dei: Mala voluntas, qui ordinem naturæ seruare noluit, non ideo in Dei leges omnia bene ordinantis effugit. Quasi sicut pictura cum colore nigro suo loco potius venustior est: ita vniuersitas rerum, si quis potest intueri, etiam cum peccatoribus pulchra est quamuis ipsos per se consideratos sua deformitas deturpet. Idem in libro de natura boni: Malum bene ordinatum, eminentius commendat bona. Item ordinatio multum facit ad fortitudinem. Anima bene ordinata terribilis est hostibus suis, scilicet dæmonibus & vitiis, vt castrorum acies ordinata. Exercitus inordinatus facile vincitur: ordinatus verò ab hostibus timetur. Cum dispositione inicitur bellum. Anima ordinem suum seruans, cum sit propinqua periculatissimo, est valde in eminenti loco, hostibus suis superior: ideo non timet eos. Psal. Super inimicos meos despexit oculus meus. Boëtius in libro de consolatione. Mali circa diripiendas inutiles sarcinulas occupantur: boni autem desuper irrident vilissima quæque rapi-
entes.

Cant. 6.

Pro. 24.

Secundum

*Secunda pars principalis de ordinatione rationis
quantum ad actum cogitandi.*

CAPVT II.

S Equitur de diuersitatibus ordinationum. Et notandum quòd ordinandæ sunt animæ vires: ordinandæ sunt & virtutes. Prouidenda est ordinatio, & respectu temporum, & respectu locorum. In ordinatione animæ quantum ad vires, primo intendendum est ordinationi rationis: quia cum ratio ordinata fuerit, ipsa alias vires ordinabit. Ad ordinationem rationis pertinet, vt eius operatio actus aliarum viriũ præcedat. Bernardus in libro de consideratione. *Lib. 1. circa medium illius.* Non te totum, nec semper des actioni: sed considerationi aliquid tui, & cordis & temporis, sequestra. Consideratio ipsius actionis partes, benigna præsumptione suas facit: peragendo quodammodo & præordinando quæ agenda sunt necessario: ne fortè quæ præuisa & meditata, esse poterant proficuo, præcipitata magis periculo fiant. Item ad rationis ordinationem pertinet, vt seruus Dei sibi prius, ampliusq; quam alteri intendat. Bernardus in libro de consideratione: *Lib. 2. inter princip. & medium.* A te tua consideratio inchoet: ne frustra extendaris ad alia, te neglecto. Quid tibi prodest, si vniuersum mundum lucreris, te vnum perdens? noueris licet omnia mysteria, noueris lata terræ, alta cœli, profunda maris: si te nescieris, eris similis ædificanti sine fundamento, ruinam non structuram faciens. Non est sapiens qui sibi non est sapiens. A te incipiat tua consideratio: non solùm autem, sed & in te finiatur.

Tu primus tibi: tu tibi vltimus. Considera
 sic progrediatur, vt non egrediatur: sic exeat,
 non deserat. In acquisitione salutis tuæ nemo tibi
 germanior. In libro de vita solitaria. Egregium
 instrumentum corporis oculus: si sicut caetera,
 sic etiam seipsum posset videre. Quod cum
 interiori oculo cōcessum fit, si ad exterioris ex-
 emplum seipsum negligens, vacat circa aliena
 cum multum vult, non sufficit redire ad se-
 ipsum. Tibi vacat multum: tu ipse tibi sollicitu-
 dinis materia es. Pertinet etiam ad rationis or-
 dinationem, vt seruus Dei prius audiat, quam
 docere præsumat: prius ea quæ in doctrina fidei
 sibi apposita sunt, prudenter intelligat: vt qua-
 lia sibi apposita sunt, potest preparare studeat. Au-
 ditacens, & pro reuerentia accedet tibi bona
 gratia. Ordinanda est ratio quantum ad actum
 cogitandi, inquirendi, iudicandi, memoran-
 di, interrogandi, seu eloquendi. Quantum ad
 actum cogitandi, ordinanda est ratio, vt non
 solum cogitationes peruersas, sed otiosas ca-
 ueat: cogitationibus verò ad vsum vitæ, vel ad
 cultum Dei pertinentibus intendat, ordinatio
 rationis quantum ad actum cogitandi multum
 dependet ex dispositione voluntatis. In libro
 de vita solitaria: Voluntas in omni cogitatio-
 ne princeps est: & necessario principatum vo-
 luntatis sequitur omnis tenor cogitationis. Tri-
 a enim sunt quæ cogitationem faciunt: volun-
 tas ipsa, memoria, & intellectus. Voluntas co-
 git memoriam, vt proferat materiam: cogit
 intellectum ad formandum quod profertur.
 In eodem: Cogitationum, aliæ bonæ & sanctæ

Bernard.

Ecccl. 32.

Bernard.

& dignæ Deo: aliæ malæ & peruersæ quæ separant à Deo: aliæ vanæ & otiosæ, à quibus aufert se Deus. Hinc etenim dicitur, quòd peruersæ cogitationes separant à Deo: & quia Spiritus sanctus aufert se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu. Intellectus ipse est, qui quocunque seu in bonum, seu in malum applicatus fuerit, naturaliter viget: sed alius inuenitur sibi relictus: alius gratia illuminatus. Ille seculi rebus & feriis & nugatoriis se non negat: hic non nisi dignis se rebus accommodat. Ille sæpe operatur, sicut sibi relictus, & vitio infectus, ex vitio rationis & vitio corruptæ voluntatis texens malas peruersasque cogitationes, quibus semetipsum qui cogitat spontè separat à Deo: hic autem sicut illuminatus & virtuti affectus, operatur pietatè, quæ cogitantem cõiungit Deo. Cogitationes sine intellectu ipsæ sunt vanæ & otiosæ, neutro intellectui per cogitationis intentionem se applicantes; nõ repente perimentes, sed paulatim corrumpentes; occupantes tempus, necessaria impediètes, & animũ inficientes; & nõ tam cogitationes, quàm ex veris vel imaginariis recordationibus simulachra quædã cogitationum, seu ipsæ recordationes, vltro multipliciter in memoriã scaturiunt; in quibus passio quædã voluntatis potius esse videtur, quàm actio: cum nulla sit in eis cogitantis intentio: cum id quod sponte ebullit de memoria, formandum se offert intellectui nõ curanti: & quicquid agitur, potius agi videtur in somno dormientis, quàm in acie cogitantis: vbi tamen & si repellere à seipso Spiritum sanctum non est in voto cogitantis, fit tamen ex culpa ne-

Sap. 1.

gligentis, vt spiritus disciplinæ meritò se auferat à cogitationibus indisciplinatis. Ad ordinationem rationis quantum ad actum cogitandi quatuor multum valent. Primum est boni transitorij contemptus. Amorem boni transitorij comitatur turba cogitationum tumultuosarum. E conuerso. Contemptus boni transitorij habet solitudinem. Gregorius super illud: Qui ædificant sibi solitudines. Omnis terrenus densis tumultibus premitur: & frequentia desideriorum quasi turbarum calcatur. Idem: Sancti viri qui nihil huius mundi appetunt: nullis proculdubio in corde tumultibus premuntur. Secundum est sensuum exteriorum custodia. Sicut custodia portæ ad hoc valet, vt non intret, qui intrare non debet: sic custodia sensuum ad hoc valet, vt cogitatio mala ad cor non intret: Claude ostia tua super te. Tertium est vigilantia, qua cogitationes malæ quæ oriuntur, & causæ eorumprehenduntur. Quartum est virilitas ad operandum, qua cogitationes malæ in corde nasci prohibentur. & si natæ fuerint, expelluntur. Hæc duo nobis commendantur: Vigilare, inquit, state in fide, viriliter agite. Qui cogitationibus malis carere desiderat, cogitationibus bonis cor occupare studeat. Bernardus distinguit diuersa genera cogitationum, à quibus multa sollicitudine cauere necesse est eos, qui conuertuntur ad cor: & dignum Deo in semet ipsis templum exhibere festinant. Sunt enim nonnullæ cogitationes penitus otiosæ, quas tam facile abiicere quàm repellere potest anima seculum habitans in corde suo, & assistens domi-

Job. 3.

Lib. 4. cap.

39. in prin.

Lib. 4. cap.

34. in prin.

Isa. 26.

1. Cor. 16.

*In serm. de
triplici ge-
nere cogi-
tationum.*

matorum

matori vniuersæ terræ. Sunt & aliæ violentę magis & fortius adhærentes, quæ ad necessitatem animæ pertinent: & quasi ex eodem limo assumptæ, de quo & nos: quæ si paululum infederint, euelli nequeunt sine læsione & difficultate. Sæpe enim sic afficit nos carnalis cogitatio de necessariis corporis, vt vix eradicari possit à nobis: & quia limosa cùm sit & viscosa, limosam similiter inuenit terram. Nõ sine caussa dictum est, hominem non plasmatum de terra qualibet, sed de limo. Oportet reprimere, quem extinguere non possumus appetitum, vt quàm cito mentem ingreditur, crescere non sinatur: sed sicut dicit Scriptura, sub nobis sit appetitus, & nos dominemur illius. Est & tertium cogitandi genus immundum nimis & fœtidum, quod nec admittere quidem vlla ratione debemus, sed à longè præsentire fœtorem, & tota virtute repellere, ad gemitus conuersi, lachrymis & suspiriis inuocantes Spiritum sanctum, qui adiuuet infirmitatem nostram. Dico autem cogitationes illas immundas penitus & fœtidas, quæ ad luxuriam, ad inuidiam, & vanam gloriam pertinent, cæteraq; vitia detestanda.

De ordinatione rationis quantum ad actum inquirendi.

CAPVT III.

Quantum ad actum inquirendi, ordinanda est ratio, vt caueat ne nimis difficilia vel inutilia inquireat: Non erigas oculos tuos ad o- *Pro. 23.*
pes quas habere non potes, sed prudentiæ tuæ
K 5 pone

Eccl. 3.
Rom. 12.

Eccl. 3.

Isa. 19.

Bernard.

pone modum. Altiora te, ne quæsieris: & fortiora te, ne scrutatus fueris. Non plus sapere quàm oportet sapere. Seneca. Id quærere quod potes inuenire: id discere quod potes scire. In superuacuis rebus noli scrutari multipliciter. Confundentur qui operantur linum: plectentes & texentes subtilia. Item ordinanda est ratio, quantum ad actum sciendi, scilicet ordinem, studium & finem. Bernardus super Cantic. Scias quo ordine, quo studio, quo fine nosse quæque oportet. Quo ordine, ut illud prius, quod maturius ad salutem. Quo studio; ut id ardentius quod vehementius ad amorem. Quo fine: ad ædificationem tui, & proximi. Sunt enim qui scire tantum volunt, ut sciant: & turpis curiositas est: & sunt qui scire volunt, ut sciatur, & turpis vanitas est: & sunt qui scire volunt, ut scientiam vendant: & turpis questus est: & sunt qui scire volunt, ut ædificent, & charitas est: & sunt qui scire volunt ut ædificentur, & prudentia est. De studio eius qui nouus est in religione, dicitur in libro de vita solitaria. Nouo in Christo homini ad exercenda eius interiora, melius & tutius proponuntur legenda & meditanda Redemptoris nostri exteriora: & ostendendum in eis exemplum humilitatis, prouocatio charitatis, & affectus pietatis; & de Scripturis sanctis, & sanctorum patrum tractatibus, moralia quæque & planiora. Proponenda etiam sunt ei gesta, & passionis sanctorum: ubi nec laborandum fit ei in planicie historiali: & semper aliquid occurrat, quod nouitij animum excitet ad amorem Dei, & contemptum sui.

Porro

Porro alia historia delectant quidem cum leguntur, sed non edificant: quin potius mentem inficiunt: & in tempore orationis vel spiritualis meditationis inutilia quæque vel noxia scaturire faciunt memoriam. Lectionis quidem modum sequi solet similis meditatio. Difficilium etiam Scripturarum lectio fatigat, non reficit teneriorem animum: frangit intentionem: hebetat sensum vel ingenium.

De ordinatione rationis quantum ad actum iudicandi.

CAPVT IIII.

ORdinanda est ratio, quantum ad actum iudicandi, ut ab his que non sunt nostri iudicij, humiliter se temperet: ea vero que sunt nostri iudicij, diligenter examinet. Nostri iudicij non sunt, que nobis incerta sunt. de quibus dicit glossa, super illud: Nolite iudicare. Duo sunt, in quibus temerarium iudicium cauendum est. Sunt enim quedam media & incerta, de quibus ignoramus, quo animo fiant, que bene vel male possunt fieri. Nescimus qualis futurus est, qui nunc apparet malus: de cuius correctione desperare, eumque quasi abiectum reprehendere, temerarium iudicium est: Nolite ante tempus iudicare. Inferiores etiam non debent iudicare superiores. *Glos. super Matt. 7.* Temerarium est, quando quibus commissum non est, iudicant. *Matth. 7.* Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? *Rom. 14.* Ea que nostri iudicij sunt, diligenter sunt examinanda. Senec. Prudentis est examinare consilia: & non facili credu-

Matth. 7.
Glossa ord.
ibid.

1. Cor. 4.

Matth. 7.
Rom. 14.

Eccl. 19.

credulitate ad falsa prolabi: Qui cito credit, leuis corde est. Non est admittenda sententia in consensu credulitatis, nisi examinata. Seneca Opiniones tuæ iudicia sint. Sicut in disputationibus non admittimus, nisi manifestè vera: ve quæ vis probationis extorsit: sic & consensum credulitatis non debemus admittere, nisi vel manifesta sint, vel ea de quibus sit nobis plena fides. quod præcipuè seruandum est in his quæ non expedit nobis credere: vt sunt mala de proximo, vel bona siue alta de nobis. Mala credita de proximo faciunt ad hoc, quòd eum despiciamus, vel minus eum amemus: quæ nobis non expediunt. Alta credita de nobis, reddunt nos tumentes, & bonorum insusceptibiles: Vt

*Isa. 5.**Rom. 12.**1. Tim. 6. 11.*

qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes: Nolite esse prudentes apud vobismetipsos: Diuitibus huius sæculi præcipe, non sublimè sapere. Magna æstimatio sua est velut albugo in oculo interiori, visum impediens. Gregorius in pastoralis: Pupilla oculi nigra videt: & albuginem tolerans nihil videt quia humanæ sensus cogitationis si stultum & peccatorem se intelligit, cognitionem claritatis apprehendit. Si autem candorem sapientiæ seu iustitiæ sibi attribuit, à luce se supernæ claritatis excludit. Vbi humilitas, ibi sapientia. Gregorius. Prima stultitia angeli fuit elatio cordis. Vera

Lib. 1. pastor. ca. 6. 11.
à medio.

*Pro. 11.**Bernard.*

sapientia hominis, est humilitas suæ æstimationis. In libro de vita solitari: Omnis superbia est stulta.

De ordinatione rationis quantum ad actum
memorandi.

CAPVT V.

ORdinanda est ratio, quatum ad actum memorandi. Et notandum quod memoratiuæ rationis triplex est actus. Primus est, species intelligibiles retinere; secundus est eas repræsentare; tertius est amissas reparare, & hoc est reminisci. Ad ordinationem memoratiuæ pertinet, vt salubria libenter memoremur: noxia verò obliuiscamur. De salubribus, quæ laudabiliter memoramur, aliqua tangamus. Primo commendabilis est memoria benefactoris vel beneficij: & maximè memoria creatoris vel redemptoris. Memento creatoris tui. Hoc facite *Eccl. 8.18.*
in meam commemorationem. Mementote diei *Luc. 22.*
huius qua egressi estis de Ægypto. Gratiam *Exod. 13.*
dei uossoris ne obliuiscaris. Dedit enim pro te a- *Eccl. 29.*
nimam suam. In libro de vita solitaria. Scit, qui- *Bernard.*
cunque sensum Christi habet, quantum Chri-
stianæ pietati expediat: quantum seruum Dei,
seruum redemptoris Christi deceat, & utile sit
ei, vna saltem aliqua diei hora, passionis ipsius
ac redemptionis attentius recolligere benefi-
cia: ad fruendum suauiter in conscientia, & re- *Dent. 6.*
colendum fideliter in memoria. Secundò, me-
moria præceptorum Dei. Erunt verba hæc, quæ
præcipio tibi hodie, in corde tuo, & narrabis ea
filiis tuis: & meditaberis sedens in domo tua, &
ambulans in itinere, dormiens atque consur- *Iosue 1.*
gens. Non recedat volumen legis huius de ore
tuo: sed meditaberis in eo diebus & noctibus. *Eccl. 3.*

Quæ

Quæ præcepit tibi Deus, hæc cogita semper.
 Tertio, memoria iustitiæ quam Deus exercuit
 in transgressores mandatorum suorum. In Psal.
Eccl. 18. Memorabor iustitiæ tuæ solius: Memor esto iu-
 dicii mei: sic enim erit & tuum. Mihi heri, & tibi
 hodie. Quarto, memoria diuinæ misericordiae,
 quæ valde necessaria est positis in tribulatione,
 ne in desperationem labantur: Memoratus sum
 misericordiae tuæ Domine, & cooperationis
 tuæ quæ à seculo sunt: qui eruis sustinentes te
 Domine, & liberas de manibus gentium: Me-
 mentote qualiter salui facti sunt patres nostri in
 mari rubro. Quinto, memoria belli spiritualis,
 in quo tot & tanti ceciderunt: Memento belli.
 Hieronymus. Ne in præterita castitate confidas,
 nec Dauide sanctior, nec Salomone potes esse
 sapientior, nec Sampson fortior. Memeto sem-
 per quod paradisi colonum mulier de posses-
 sione sua eiecit. Sexto memoria vite sanctorum,
 quam debemus imitari. Gregorius. Facta præ-
 cedentium consideremus: & non erunt gra-
 uia quæ toleramus. Mementote sermonis mei
 quem dixi vobis: non est seruus maior Domino
 suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur.
 Septimo, Memoria aduersitatis in prosperitate:
 & prosperitatis in aduersitate. In die bonorum
 ne immemor sis malorum: & in die malorum
 ne immemor sis bonorum: Memento pauper-
 tatis in tempore abundantiae, Octauo, memoria
 mortis. In omnibus operibus tuis memorare
 nouissima tua: & in æternum non peccabis. No-
 nõ, memoria status honorabilis, à quo quis de-
 generauit: vt est nobilitas carnalium vel spiri-
 tualium

tuallum parentum : à qua quis cecidit. Sapiens.
 Ad hoc tantum nobilitatis memineris , vt
 cum claritate generis , morum sanctitate con-
 tendas : & cum nobilitate corporis, animi nobi-
 litate proficias. Attendite ad petram vnde excisi *Isai. 51.*
 estis. Attendite ad Abraham patrem vestrum.
 Memor esto vnde excideris , & age pœnitenti- *Apoc. 2.*
 am. Decimò , memoria priorum peccato-
 rum, ad dolendum. Recogitabo tibi omnes an- *Isa. 38.*
 nos meos in amaritudine animæ meæ. Multa
 etiam sunt, quorum est laudabilis obliuio. Pri-
 mò, est laudabilis obliuio iniuriarum: Non me-
 moreris iniuriæ ciuium tuorum. Animus obli- *Leuit. 19.*
 uiosus beneficiorum , & tenax iniuriarum, est
 velut colatorium feces retinens : & quod pu-
 rum est, exire permittens. Secundò, obliuio be-
 neficij alteri dati. Hæc est enim lex beneficij in-
 ter duos (vt ait Sapiens) quod alter statim debet
 obliuisci dati: alter memor esse accepti. Tertiò,
 obliuio delectationum , quas aliquis habuit in
 peccatis. Qui recogitat præterita peccata dele-
 ctando in eis mentem, reuertitur in Ægyptum,
 vt filij Israëli: Recordamur piscium quos come- *Num. 11.*
 debamus in Ægypto. Item hoc est respicere re-
 tro, vt vxor Loth, quæ versa est in statuam salis.
 Memores estote vxoris Loth. Quartò, obliuio *Luc. 17.*
 rerū temporalium in viris contemplatiuis. Quæ *Phil. 3.*
 retro sunt obliuiscēs, ad ea verò quæ sunt priora,
 extédens me ipsum. Philosophus loquens de tē-
 perantia perfectorum. Temperantia, inquit, est,
 terrenas cupiditates non reprimere, sed penitus
 obliuisci. Item ad ordinationem memoratiuæ
 pertinet, vt in ea pri^o necessaria reponatur. Si. n.
 primo

*Epist. 89. de
clinando
ad finem.* primo superuacuis repleta fuerint, necessaria non admittit. Seneca: Liberalium artium con-
fectatio verbosos & sibi placentes facit: & ideo non discunt necessaria, quia superuacua didicerunt. Item ad eius ordinationem pertinet, ut caueatur ne multitudine eorum quæ leguntur vel audiuntur, memoria confundatur. Seneca
*Epist. 2. à
med. illius.* Cum multa percurrens, vnum excipe quod illo die decoquas. Idem; Distrahit animum librorum multitudo. Itaque cum legere non possis quantum habueris: sat est habere quantum legas. Ruminatione etiam longa infigendum est memoriæ, quod nolumus obliuisci. Et qui sentit se habere labilem memoriā, Scriptura eius defectum supplere debet. Sapientiam scribe
Eccl. 38. tempore vacuitatis. Bis scripsit Dominus decalogum populo Iudæorum in tabulis lapideis. Etiam habenti tenacem memoriā necessaria est Scriptura, quia, iuxta verbum Senecæ, in memoriā primo senectus incurrit.

*De ordinatione rationis, quantum ad actum
interpretandi.*

CAPVT VI.

ORdinanda est ratio, quantum ad actum interpretandi. Et notandum quod interpretatiua est vis iudicatiua intellectus, & eius duplex est actus: scilicet excogitatio, & significatio. Excogitatio est informatio cogitationis ad exprimendum quod est dicendum. Significatio verò est demonstratio cogitationis formate per verba, vel alia signa. Ad ordinationem interpretatiuæ

tatiæ pertinet, vt quod dicendum est, prius ponderetur in corde quàm proferatur ore. Labia imprudentium, stulta narrabunt: verba autem prudentium statera ponderabuntur. In Psal. Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium. Iustus os suum reputat os cordis, scilicet vim cognitiuam, cuius est sapientiam meditari: vt os cordis prius loquatur iudicium, scilicet sententiam examinatam. De ordinatione pertinente ad locutionem, habitum est supra. 2. lib.

Eccl. 21.

Secunda pars de ordinatione voluntatis.

CAPVT VII.

Sequitur de ordinatione voluntatis, cui multum intendendum est. Ordinata enim voluntas, fons est omnium bonorum: inordinata verò fons omnium malorum. Nec prodest ordinatio cæterarum virtutum: si voluntas inordinata remanserit. In libro de vita solitaria: Omnis vitij frustra siccatur riuus: si fons non fuerit obturatus. In eodem. Bona voluntas in animo est origo omnium bonorum, & omnium mater virtutum; sicut è conuerso mala voluntas, omnium malorum & vitiorum. In eodem: Remissa voluntas facit leuitatem mentis, ex qua prodeunt instabilitas mentis, inconstantia morum, vana lætitia, sæpè vsque ad lasciuiam carnis: vana tristitia nonnunquam vsque ad ægritudinem corporis: & multa alia in negligentia vel transgressione propositi, ex leuitatis vitio venientia. Sic etiam superba voluntas, in magna sæpè cordis inopia, tumentem efficit animum:

Bernard.

L vnde

vnde procedunt vana gloria, fiducia sui, negligentia Dei, iactantia, inobedientia, contemptus, præsumptio, & cæteræ animi pestes: quæ profluere solet ex tumore & vsu superbix. In hunc modum omnia genera vitiorum ex aliquo malæ voluntatis affectu, vel malæ consuetudinis vsu ducunt originem: quæ quanto diutius menti inolita est, tanto fortius hæret, & fortioribus remediis eget: & curam requirit diligentiore. In eodem: Cùm voluntas declinat in ea quæ carnis sunt, concupiscentia carnis est: cùm in curiositatem seculi, concupiscentia oculorum est: cùm in ambitionem gloriæ vel honoris, superbia vitæ est. In eodem legitur de ordinatione voluntatis: Voluntas in spiritualibus, & in his quæ ad Deum sunt, cùm vult quod potest, laudanda est: cùm vult quod non potest, & plusquam potest, regenda est: cùm non vult quod potest, excitanda est & prouocanda. Sæpe enim si non frenatur, impetum facit: & cogitur in præceps. Sæpe non excitatur, dormit & tardat, & obliuiscitur quo tendebat: & facile declinat quasi à latere in obligationes oblatæ delectationis. Ad ordinationem igitur voluntatis pertinent refrenatio & incitatio. Refrenanda est voluntas à malis: vt ea omnino non velit. Non simus concupiscentes malorum. Malum concupiscere: est quasi venenum appetere. Item refrenanda est à minimis bonis: ne nimis ea velit. Bona minima sunt contemnenda: non nimis appetenda. Pluribus sunt nociua quàm vtilia. Vsq; quo stulti quæ sibi noxia sunt cupient? Item refrenanda est, ne velit propter se, quod propter aliud debet velle, vel

è con-

Bernard.

1. Cor. 10.

Pro. 1.

è conuerso. In libro de vita solitaria. Custos ani-
 mæ suæ valde sollicitus debet esse circa custodi-
 am voluntatis suæ, vt prudenter intelligat & di-
 scernat, quod in totum velit, vel volendum sibi
 sit, sicut amor Dei: quid propter illud, sicut a-
 mor proximi. Refrenâda est ne velit simpliciter,
 quod cum modo vel conditione velle debet: vt
 bona temporalia. Augustinus. Quando tempo-
 ralia petitis, cum modo petite, & cum timore
 Deo committite: vt si profint, det: si scit obesse,
 non det. Incitanda est voluntas, vt plus velit v-
 tilia, quàm ea quæ vt frequenter sunt noxia: per-
 manentia, quàm fugientia. Bernardus. Magna
 confusio. Ardentius desiderant seculares perni-
 ciosa, quam nos vtilia: alacrius currunt ad mor-
 tem, quàm nos ad vitam. Augustinus. O si posse-
 mus homines excitare, & cum illis pariter exci-
 tari: vt tales essemus amatores vitæ permanen-
 tis, quales ipsi sunt vitæ fugientis. Item incitan-
 da est voluntas, vt boni inchoationem non dif-
 ferat: & vt bono inchoato remisse non agat. Ne
 tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de
 die in diem. Egestatem operata est manus re-
 missa. Item incitanda est voluntas ad magna
 bona: vt ad magna bona, magnum desiderium
 habeat. Augustinus. Seruat tibi Deus, quod non
 vult citò dare: vt magna discas magnè deside-
 rare. Qui multum vult, multum potest: qui pa-
 rum vult, parum potest. In libro de vita solita-
 ria. Ignosce Domine, ignosce, excusamus, tergi-
 uersamur, sed non est qui se abscondat, à lu-
 mine veritatis tuæ. Vix est aliquis, qui in eis que
 ad te sunt experiri velit quid possit, etiam quod

Bernard.

*Serm. 53. de
 Verbis Do-
 mini à
 med.*

Eccl. 5.

Pro. 10.

Bernard.

promptissimè potest quandoq; secundum carnem: vel seculum, siue timor impulerit, siue cupiditas traxerit. Sed si fallimus in scios, non nos permittas, vt quasi volentes fallere te, fallamus nosmetipsos. Nos non laboramus, quia vel non possumus, vel non posse nobis videtur: vel consuetudine otij & deliciarum nostrarum non posse, efficitur. In hoc ipsum, peccato nostro manifesto, iudicio tuo occulto, formasti nos, vt forsitan quia nō multum hoc volumus, non possimus: vel quia non voluimus cū potuimus, cū volumus non possumus. Item incitāda est voluntas vt perfici appetat: & ad perfectionem tendat. Estote perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est. In libro de vita solitaria. Nolle esse perfectum, delinquere est.

Bernard. Bernardus. Magna pars profectus est, velle proficere. Augustinus. Non progredi, iam regressus est. Cesset omnis ignauia; si volumus non redire, currendum est. Leo papa: In decidendi incidunt periculum, qui proficiendi perdidit appetitum. Item ad ordinationem voluntatis humanæ pertinet, vt Dei voluntatem tanquam regulam habeat, & ei se conformare, studeat: & quod ei placuerit sibi placeat. Glossa super illud Psal. Gloriamini recti corde omnes. Recti corde sunt: qui dirigunt cor suum secundum voluntatem Dei. Seneca. Vir bonus quicquid illi acciderit, æquo animo sustinebit. Sciet enim hoc accidisse lege diuina, ex qua vniuersa procedunt. Cū aliquis voluntati diuinæ suam perfectè conformat, nihil eius voluntati, sicut nec voluntati diuinæ obstat; quod ad pacem animi

Matth. 5.

Bernard.

Epist. 254.

Epist. 77. à medio.

nimi multum facit. Contrarium verò huius multum facit ad animi perturbationem. Quis restitit ei, & pacem habuit? Ad ordinationem etiam voluntatis pertinet, vt respectu aliarum virium dominium habeat, & seruituti vitiorum, quæ pessima est, se non subdat. Bernardus. An non seruus, cui dominatur iniquitas? Et maximè: nisi tu indignius iudices, hominem tibi, quàm vitium dominari.

Iob. 9.

*Lib. 1. de
confid. ante
medium.*

Tertia pars. Actus concupiscibilis & irascibilis determinantur.

CAPVT VIII.

Sequitur de ordinatione virtutis concupiscibilis & irascibilis. Concupiscibilis tendit ad bonum appetitu delectandi. Motus irascibilis est in bonum arduum, vel contra malum, appetitu vincendi. Actus pertinentes ad concupiscibilem sunt concupiscere, gaudere, diligere, & actus contrarij istius sunt respuere, dolere, vel tristari & odire. Concupiscere est appetere sibi bonum, quod nondum habetur. Appetitus verò iste si sit cum intensiōe, dicitur desiderium. Gaudere est iocundari de boni adeptiōe, vel eius fruiōe. Diligere est alicui bonum appetere, & est propriè respectu alterius, non respectu sui. Contrarium ei quod est concupiscere, est respuere. Respuit verò aliquis bonum vel fastidiendo vel abominando. Abominatio est cum intensiōe. Contrariū ei quod est gaudere, est dolere, vel tristari. Dolere est affligi ex separatiōe boni vel conuenientis: vel coniunctiōe ma-

L 3

li,

li, sed disconuenientis. Contingit etiam aliquid quando de malo proximi dolere, quod est misericordiae: vel de eius bono, quod est inuidia. Ei verò quod est diligere, contrarium est odire. Tres primi actus sunt secundum boni placentiam: tres alij secundum displicentiam. Actus irascibilis respectu excellentiae vel humilitatis sunt quatuor scilicet ambitio, spes, dominatio, contemptus. Ambitio & spes sunt respectu eius quod nondum habetur. Ambitio est appetitus honoris vel excellentiae. Spes verò appetitus eius cum fiducia obtinendi. Dominatio est appetitus honoris obtenti vel gloriatio de illo. Contemptus est reprobatio subiectionis propriae. Contemptus etiam est reprobatio rei vel personae: quia aestimatur vilis à debilitate. Irascibilis sunt quatuor actus contrarij, quatuor praedictis. Primus qui contrariatur ambitioni, est fuga honoris vel excellentiae, quae paruitas spiritus dici potest. Spei contrariatur desperatio: quae est fuga boni ardui propter diffidentiam obtinendi. Dominationi contrariatur humiliatio, quae est amor subiectionis fugiens excellentiam. Contemptui contrariatur reuerentia: quae est veneratio rei vel personae propter eius excellentiam. Actus irascibilis confortantis se contra malum, sunt tres, scilicet, irasci, audere, & insurgere. Contra malum irasci, est vindictam vel punitionem appetere. Audere est de victoria mali praesumere. Ex his sequitur insurgere in destructionem mali, quod est magnanimitatis. Actus irascibilis fugientes malum sunt tres, scilicet poenitentia: quae est fuga vel detestatio

stat io

statio præteriti mali : impatientia , quæ est fuga
mali præsentis : & timor qui est fuga mali futuri.
Et hæc de actu concupiscibili, & irascibili.

De ordinatione actuum concupiscibilis.

CAPVT IX.

AD ordinationem concupiscibilis quantum
ad actum concupiscendi pertinet, vt in bo-
nis terrenis non appetat superflua : sed necessa-
riis sit contenta. Item vt post concupiscentias il-
licitas non eat, sed ab eis se auertat. Bona spiri-
tualia, ad quæ appetenda Saluator monet, appe-
tat intense : temporalia quæ Saluator appetere
dissuadet, si appetit, appetat remissè. Ad ordina-
tionem cõcupiscibilis, quantum ad actum gau-
dendi pertinet, vt non gaudeat de malis vel va-
nis : & vt amplius gaudeat de bonis internis quã
externis : & plus de bonis supernis & æternis,
quàm de bonis infimis & terrenis. Non debet
gaudere de malis propriis vel alienis. Velut in-
fania est, gaudere de malis propriis. Latantur *Pro. 2.*
cum malè fecerint, & exultât in rebus pessimis.
Iniquum est gaudere de malis proximi, vel illi-
us qui te offendit, quod pertinet ad odiũ : vel il-
lius qui respectu tui excellit, quod p̄tinet ad in-
uidiam. Qui lætatur in rûina alterius, nō erit im- *Pro. 17.*
punitus. Puerile est gaudere de vanis. Sen. Fun- *Epist. 23. p. a.*
damentũ bonæ mentis est nō gaudere de vanis. *rum à prim.*
Fundamentũ hoc esse dixi; etiã culmen est. Ad
summa peruênit, qui scit quo gaudeat: qui feli-
citatẽ in aliena potestate non posuit. Super illud
ad Gal. 5. Fructus spiritus est charitas, gaudium,
&c. dicit Glossa. Elatio animi est de his quæ

digna sunt, gaudium mundi de indignis. Seneca. In voluptatibus nihil est magnificum, nihil quod naturam Deo proximam deceat; membrorum vilium ac turpium ministerio veniens, exitu fœda. De bonis internis debemus gaudere. Seneca. Nolo vnquam tibi deesse lætitiã. Volo tibi illam domi nasci. Domi nascitur: si intra te ipsum sit. Idem: Conculca ista quæ extrinsecus splendent: & de tuo gaude. Quid est autem de tuo? De teipso, & de tui optima parte. Idem. Veri boni gaudium est ex bona conscientia, ex contemptu fortuitorum, ex honestis consiliis, ex rectis actionibus, ex placido vitæ & continuo tenore vnã prementis viam. Idem: Improbæ voluptates non sunt solidæ, non sunt fideles; etiam si non nocent, fugiunt. Potius aliquid bonum permansurum circumspice. Sola virtus præstat gaudium perpetuum & securum. De æternis etiam gaudere debemus. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est. In hoc nolite gaudere, quia spiritus subiiciuntur vobis: gaudete autem quia nomina vestra scripta sunt in cœlis. Ad ordinationem concupiscibilis, quantum ad actum diligendi, pertinet, vt in proximo diligatur quod est diligendum: & non diligatur, quod diligendum non est. Item vt diligatur proximus propter id propter quod diligendus est, & ad id ad quod diligendus est. Diligenda est proximi persona: & non sunt diligenda eius vitia. Augustinus in libro de doctrina Christiana. Omnis peccator in quantum peccator, non est diligendus. Omnis homo in quantum homo, est diligendus. Item Augustinus.

*Epist. 23. d-
liquantu-
lum à prin.*

*Epist. 23. à
med.*

*Matth. 5.
Luc. 10.*

*Lib. 1. cap.
27. tom. 3.*

nus. Sic diligendi sunt homines, vt eorum vitia non diligantur. Propter Deum diligendus est proximus. Augustinus in libro de Trinitate. A- manda est creatura: sed si ad creatorem amor referatur, iam non cupiditas, sed charitas erit. Item in lib. Confessionum Domine minus te amat, qui aliquid præter te amat, quod propter te non amat. Diligendus est proximus ad gratiam in præfenti, & gloriam in futuro. Aug. in lib. de doct. Christ. Quisquis rectè diligit proximum, hoc cum eo debet agere, vt etiam ipse toto corde, & tota anima, & tota mente diligit Deum. Item ad ordinationem dilectionis pertinet, vt illi amplius diligantur, qui amplius diligendi sunt, & eo modo diligantur, quo diligendi sunt. Diligendi sunt amplius boni quàm mali: meliores & Ecclesiæ vtiliores quàm minus boni, & minus vtiles: & benefici & propinqui plus amandi sunt, quàm qui tales non sunt. Amandi sunt boni tanquam filij Dei. Quicumque spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Ambrosius: Domestici si boni sunt, malis filiis præponendi sunt. Ad modum diligendi pertinet, vt proximus citra Deum ametur: & supra res temporales. Item vt ametur affectu & effectu. Effectus tamen aliquando ex causa suspenditur. Augustinus. Charitas non intermittatur, officia pro tempore exhibeantur. Infirmioribus effectus dilectionis potius exhibendus est. Augustinus: Charitas quæ tanquam nutrix fouet filios suos, non ordine amandi, sed ordine subueniendi infirmiores fortioribus anteponit: quos tales vult esse, quales iam illi sunt, quos non contem-

*Eodem lib.
 & cap. nũo
 citatis.*

*In lib. soli-
 loquior.
 cap. 19.*

*Lib. 1. cap.
 29. tom. 3.*

Rom. 8.

nendo, sed de illis confidendo interim præterit. Amare debemus in proximo, sicut & in nobis, plus animam quam corpus. Gregorius in moralibus. Cum rectè diligimus, nihil rebus conditis anima nostra charius habemus. Inter illos, qui in religione, tanquam inter homines spirituales, non carnalis, sed spiritualis debet esse dilectio. Spiritualis, inquam, & originaliter & finaliter: ut scilicet à spiritu procedat, & ad spiritus utilitatem tendat. Carnalis est dilectio originaliter, cum aliquis propter pulchritudinem corporis, vel aliquid simile amatur. Finaliter verò dilectio est carnalis, cum aliquis eum quem amat, quod secundum carnem utile est procurat, & de spirituali eius profectu non curat. Maxime intendendum est ordinationem amoris: cum secundum Augustinum 15. de civitate Dei, definitio brevis & vera virtutis, finis ordo amoris. Ad ordinationem etiam concupiscibilis pertinet, ut fastidium boni spiritualis caueatur, & vana consolatio respiciatur. Specialiter cauendum est fastidium in doctrina sacra & diuino officio. Contingit autem fastidium boni spiritualis aliquando ex ignorantia bonorum spiritualium. Sicut enim porci species aromaticas vel margaritas non reputant: sic homines animales spiritualia bona despiciunt. Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt. Bernartus super Cant. Quomodo lux incassum circumfundit oculos cæcos & clausos: sic animalis homo non percipit ea quæ Dei sunt. Neque mittatis margaritas vestras ante porcos: ne forte conculcent eas pedibus suis. Aliquando accidit fastidium boni

Lib. 15. cap. 22. circa finem.

Pro. 1.

Matth. 7.

boni spiritualis ex præsumptione : sicut fastidiū
 cibi corporalis accidit ex ventosa stomachi ple-
 nitudine. Aliquando verò accidit ex infectione
 palati interioris de febre iniquitatis. Augustin. *Lib. 7. con-*
 Palato non sano pœna panis est, qui sano suavis *fess. cap. 18.*
 est. Idem : Palatum febricitantis habet, cui mel
 cœli insipidum est. Respuere debet consolatio-
 nem vanam vir religiosus: quia veram impedit,
 & ad desolationem ducit. Bernardus. Delicata
 est diuina consolatio : & non datur admittenti-
 bus alienam: Rîsus dolore miscebitur. Væ vobis *Pro. 14.*
 diuitibus, qui habetis hîc consolationem vestrâ. *Luc. 6.*
 Item ad ordinationem cōcupiscibilis pertinet,
 vt tristitia sæculi quæ mortem operatur, catiea-
 tur : tristitia verò quæ secundum Deum est, ad-
 mittatur. Tristitia sæculi est quæ provenit ex bo-
 norum temporalium amissione, vel malorum
 pœnaliaum perpeffione, vel de proximi prospe-
 ritate. Tristitia verò quæ secundum Deū est, illa
 est, quæ provenit ex bonorū spiritualium amif-
 sione: vel malorum culpæ commissione, vel ex
 proximi compassione. Ad ordinationem etiam
 concupiscibilis pertinet, vt illud quod odiendū
 est, odio habeatur. Maximè verò odiendum est
 peccatū, tanquā Deo maximè exosum : homini
 maximè noxiū. Nihil odit Deus nisi peccatū, vel
 propter peccatū. Deus amavit eum, qui nūc dia-
 bolus dicitur, antequā peccatum haberet, & ad-
 huc eum amaret, si in eo peccatum non esset. Al- *Eccl. 14.*
 tissimus odio habet peccatores. Odio sunt Deo *Sap. 14.*
 impius & impietas eius. Ad eò exosum est ei pec-
 catum, quòd nulli parcat, quin pœnam soluat, si
 hoc peccatū requirat. Quatuor de causis solet
 aliquis

aliquis parcere alicui rei. Aliquando propter eius pretiositatem vel nobilitatem. Hac de causa principes terreni subditis eorum nobilibus solent parcere: nolentes vel non audentes facere iustitiam de eis peccantibus: sed Deus nobiliorem principem cœlestis militiæ, vel vnum de nobilioribus propter peccatum superbiæ cum omnibus ei adhærentibus æternaliter damnauit, & de cœlo præcipitavit. Videbam sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem. Non verebitur Dominus magnitudinem cuiusquam: quoniam pusillum & magnum ipse fecit. Aliquando parcitur alicui rei propter eius raritatem. Hac de causa non pepercit Dominus primis parentibus, qui peccauerunt, licet soli essent: qui morte punirentur. Si non esset nisi vnus homo & in mortali peccato decederet, æternaliter illud damnaretur. Aliquando parcitur aliquibus propter multitudinem. Deus verò in diluuium totum genus hominum, exceptis octo personis, propter peccatum submersit. Aliquando parcitur alicui propter consanguinitatem. Deus verò proprio filio non pepercit, qui inter homines & Deum patrem, medium se posuit. Qui proprio filio non pepercit. Bernardus etiam dicit: Qui non pepercit proprio filio, nunquid parceret figmento? Nunquid etiam parceret seruo nequam? Tantum Deus odium habuit ad peccatum, quòd filium suum occidi voluit, vt cum eo destrueretur peccatum. Non habet Deus a deò bonum amicum, nec in cœlo, nec in terra quem ad mortem non odiret, si peccatum mortale in eo inueniret. Sancti etiam, peccatum ma-

Luc. 10.

Sap. 6.

Rom. 8.

Serm. 16. super Cant. circa med.

ximè, & super omnia oderunt, eligentes potius omnia genera tormentorum sustinere, quàm peccatum committere. Qui veram fidem haberet, potius peccatum timeret quam demones vel malos homines, vel bestias crudeles. Peccatum homini maximè nocet. Pessimus hostis est, quem homo habet. Alij hostes non possunt ei nocere, nisi per istum. Nulla enim ei nocet aduersitas, si nulla dominetur iniquitas. Augustinus. Quid times hominem, homo in sinu Dei positus? Tu de illius sinu noli cadere: quidquid ibi patieris, ad salutem valebit, non ad perniciem. Qui custodit præceptum, non experietur quidquam mali. Omnia mala huius mundi ex peccato subsequuta sunt: scilicet fames, sitis, frigus, calor, labor, infirmitas & mors. Peccatum omnes amicos nostros, qui mortui sunt, occidit, & occisurum est nos, & eos qui nobis remanserunt. Nihil esset in mundo, quod non esset bonum, & Deo placens, & homini utile: si non esset peccatum. Maiora verò mala ex eo in futuro sequentur. Peccatum bonitatem suam aufert homini & eius operibus. Plus valet vnus peccatum non habens, quàm mille alij: Melior est vnus timens Deum, quàm mille filij impij. Et plus valet vnum bonum opus eius, qui extra mortale peccatum est, quàm infinita opera facta ab eo, qui est in mortali peccato.

Eccl. 8.

Eccl. 16.

De ordinatione actuum irascibilis virtutis.

CAPVT X.

Sequitur de ordinatione virtutis irascibilis.
Ad ordinationem verò ipsius, respectu excellen-

cellentiæ, pertinet vt virtutum eminentiam, & cœlestem altitudinem appetat: terrenam autem tanquam abominabilem despiciat, tanquam periculosam timeat, tanquam malis abundantem & bonis deficientem fugiat. Terrena altitudo, vt est altitudo domini, vel mundanæ gratiæ, vel humanæ laudis, valde est contemptibilis, cum Deo sit abominabilis. Quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum. Superbi qui terrenam altitudinem appetunt, multum Deum despiciunt: ideò meritò multum despiciuntur ab eo, vt sint ei abominabiles. Qui ma contemnunt, erunt ignobiles. Inter creaturas terra est ordine infima naturaliter, pedibus hominum conculcanda: & bona terrena valore sunt minima: & inter hæc minima minimum est puluis vanæ gloriæ, quam terrena altitudo sectatur. Ad vilitatem terrenæ altitudinis pertinet, quod per vilia & indigna ad illam ascenditur. Seneca. Non sit tibi ambitio, quæ ad dignitatem nisi per indigna te non adducet. Item, quod pessima seruitus, scilicet vitiorum & diaboli, eam comitatur. Superbi in altitudine terrena positi, etiam illis seruiunt, quibus dominari videntur, quibus providere tenentur. Vnde minus sunt liberi quàm ipsi, cum habeant multos dominos, & ipsi vnum. Et licet exterius videatur esse magnæ potestatis, tamen in se sunt minoris virtutis, & maioris infirmitatis, minus valentes resistere vitiis. Arundinea est potestas eorum, exterius habens nitorem, intus vacuitatem. Ad homines habet apparentiam, sed in ipsis non habet existentiam. Periculosa est altitudo terrena, & non

Luc. 16.

1. Reg. 2.

non desideranda, sed timenda. Augustin. Quanto quis in loco superiori, tanto in periculo maiori versatur. Dæmones qui cœlestem altitudinem amiserunt, positus in terrena altitudine invidentes, maximè eos impugnant: reputantes sibi honorabilius, si eos sibi subiecerint: & scientes quòd per eos poterunt pluribus dominari. Terrena altitudo mons est, in quo magni & fortes perierunt. Incliti Israël super montes interfecti sunt. Ionathas in excelsis occisus est. Altitudo terrena mons pestifer est. Ecce ego ad te mons pestifer, qui corrumpis vniuersam terrâ. Locus est etiam præcipitij. Bernardus. Facile est in alto se continentem obstupescere: & de vita periclitari. Altitudo terrena fugienda est, cum abundet malis, & deficiat bonis. Hanc fugit Iesus, sciens enim quod venturi erant, vt facerent eum regem: fugit montem solus. Sordes vitiorum ad hunc locum defluunt. Quod mirum poterit videri ei qui credit veram altitudinem esse: sed in veritate nõ est altitudo, sed locus valde demissus, cum sit inferno proxim⁹: & à Deo, & à cœlo remotus. A cœlo est remotus, ad quod est via per humilitatem. Vnde super illud psal. Iuxta est Dominus his qui tribulato sunt corde. dicit glossa: Altus quidem est Dominus: vicina- tur tamen humili: & non se erigenti. Altitudo terrena est locus ventis expositus. Perflant enim altissima venti. Vnde non est ibi quies, sed quasi tempestas. Gregorius. Quid est potestas culminis, nisi tempestas mentis? Specialiter ibi perflat aquilo, iuxta verbũ primi superbi: Sedebõ, inquit, in lateribus aquilonis. Vnde est locus frigi-

In reg. 3. cir- ca finem.

2. Reg. 1.

Hier. 51. Epist. 123. aliquid ha- ber simile.

Ioan. 6.

Glossa ord. ibi ex Aug.

Lib. 1. past. cap. 9.

Isa. 14.

frigidus sine calore charitatis. Flatus aquilonis est suggestio diaboli ad discordiam & odium. Sicut Christus ignem dilectionis venit in terram mittere, sic diabolus conatur illum extinguere. Bonis deficiens est mons iste. Vix enim à Domino visitatur: etsi ab eo visitaretur irrigatione gratiæ, ventorum flatu exiccaretur, vel ad loca humiliora aqua descenderet. Augustinus, Confluit aqua ad humilitatem vallis, de supercilio montis. Item ad ordinationem irascibilis pertinet, vt homo humilem locum eligat,

Luc. 14.

iuxta consilium Saluatoris: Recumbe in nouissimo loco. Hic est locus congruens homini, qui

Eccl. 10.

terra est & cinis. Quid superbis terra & cinis. Locus terræ locus est infimus. Cineri non expedit esse in alto, ne dispergatur à vento. Status humilis, est locus quietus & tutus, & abundans bonis. Quietus est: quia non est ventis expositus. Erit vir sicut qui absconditur à vento: & celat se à tempestate. Tutus est. Sapiens: Superbia omnia habet in periculo: humilitas in tuto. Augustinus. Humilitas in imo est, & non habet quod cadat: bonis abundat, quia humilibus dat Deus gratiam. Augustinus. Alta ficcantur, ima replentur. Vallis humilitatis est fertilissima. Psal, Valles abundabunt frumento.

Isa. 32.

Item ad ordinationem irascibilis pertinet, vt homo de viribus suis diffidat: & de Dei virtute confidat, vt Dei adiutorium eum fortem efficiat. Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem. Fortitudinem, inquam, propriam in diuinam. Fœlix commutatio, cùm aliquis de suis viribus diffidens, propria fortitudine se exuit:

*1. Petr. 5.**Isa. 40.*

&

& Dei fortitudine, de qua cōfidens adiutorium
 habet, quodammodo se induit. Bernardus su-
 per Cantic. Nil omnipotentiam verbi clario-
 rem reddit, quàm quòd omnipotentes facit
 eos, qui in se sperant. Denique omnia possibilia
 sunt credenti. Item ad ordinationem irascibilis
 pertinet, vt homo neminem despiciat. Non est
 despiciendus homo, quem Deus ad imaginem
 suam fecit: quem regni cœlestis participem esse
 voluit: cui angelorum sanctorum custodiam
 adhibuit: Videte ne contemnatis vnum ex his
 pusillis. Angeli enim eorum semper vident fa-
 ciem patris mei, qui in cœlis est. Ad ordinatio-
 nem irascibilis, quantum ad actum irascendi,
 octo pertinent. Primum, vt homo non ex facili
 irascatur. Spiritum ad irascendum facilem quis
 poterit sustinere? Intollerabilis est familiaritas
 iracundi. Noli esse amicus homini iracundo.
 Qui facile irascitur, est sicut domus de palea,
 quæ facile comburitur, vnde Dominus talis do-
 mus multum damnificatur. Sic qui facile irasci-
 tur ad sibilum vnus verbi, omnia bona sua per-
 dit. Væ his qui perdiderunt sustinentiam. Qui
 impatiens est: sustinebit damnum. Secundum
 est, vt non velociter irascatur. Ne sis velox ad i-
 rascendum. Sit omnis homo tardus ad iram.
 Qui velox est ad irascendum, velox est ad se
 præcipitandum, & ad faciendum saltum, quo
 sibi collum frangat: dum de statu amoris, ad sta-
 tum odij transit. Tertium est, quòd iræ resista-
 tur: ne homo ab ea superetur. Non te superet
 ira. Multum timendum est superari ab ira, quasi
 ab hoste crudelissimo: & qui non habet miseri-

*Serm. 85. su-
 per Cant.
 paulò ante
 medium.*

Matth. 23.

Pro. 13.

Pro. 22.

Eccl. 2.

Pro. 19.

Eccl. 7.

Iacob. 1.

Iob. 36.

Pro. 27.

M cordi-

Ephes. 4.
Eccl. 11.
Iob 31.
Pro. 11.

Glossa ord.
ibid.
Pro. 26.

Ioan. 12.

Iacob. 1.

Eccl. 7.

Epist. 47.
circa finem
illius.

Matth. 5.
1. Pet. 3.

cordiam: Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor. Cùm secundum sapientem, Ira furor brevis sit, multum timendum est dominium iræ, sicut dominium insani. Quartum est, vt ira cito prematur: Sol non occidat super iracundiam vestram. Aufer iram de corde tuo. Cito auferenda est ira de corde: sicut ardès carbonis de sinu. Ignis est vsq; ad consummationem deuorans. Quintum est, vt ira sermone non indicetur. Fatuus statim indicat iram suam. Gloria Naturæ iræ est, vt prolata magis ferueat, occultata languescat: Qui imponit stulto silentium iras mitigat. Sextum est, vt ira operari non permittatur. Cùm in tenebris sit animus iratus, non videt quid sit agendum. Qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat. Opus quod alias esset commendabile, cùm ex ira procedit, non est commendabile. Ira enim viri iustitiam Dei non operatur. Septimum est, vt irascatur vitio, non personæ. Ira qua quis irascitur vitio, utilis est. Melior est ira risu; quia per tristitiam vultus, corrigitur animus delinquentis. Octauum est, vt potius irascatur culpæ propriæ, quàm alienæ. Seneca. Regum nobis animos induimus. Illi obliuiscunt infirmitatis alienæ desæuiunt, quasi iniuriam acceperint. Augustinus: Irascere seruo tuo ne peccet: irascere tu tibi ne pecces.

Item ad ordinationem irascibilis, quantum ad reliquos eius actus pertinet, vt nihil audeat quod Deus inhibeat: nihil timeat, quod Deus iubeat: pro iustitia omnia mala pœnæ libenter sustineat. Beati enim sunt, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Si quid patimur pro-

propter iustitiam, beati. Item, vt contemptus impiorum contemnat, & irrisiones irrideat. Seneca: *Æquo animo audienda sunt imperitorum conuitia: & ad honesta vadenti contemnendus est ipse contemptus.* Cùm diceretur cuidam sapienti, homines te contemnunt, ait: *Et illos asini.* Sicut nec illi asinos: nec ego illos curo. Seneca. Nondum *foelix es, si nondum turba deridet te.* Deum, nō hominem timeat: quia qui timet hominem, citò corruit. Vera mala, non vmbra malorum fugiat. Vera mala sunt pœnæ futuræ vitæ: vmbra illorum sunt pœnæ præsentis vitæ: Omnia transferunt tanquam vmbra.

*Epist. 77.
paulo post
prin. eius.*

Pro. 29.

Sap. 5.

SECUNDA PARS PRINCIPALIS. DE
triplici ordinatione virtutum.

CAPVT II.

SEQUITVR de ordinatione virtutum. Possumus distinguere triplicem ordinem virtutum, scilicet ordinem plantationis, ordinem meritoria operationis, & ordinem reparationis. In ordine plantationis prima est fides. Primò enim docenda sunt opera fidei. In ordine meritoria operationis prior est charitas, quasi illam imperans. In omni enim operatione ordinata primum est amor siue desiderium finis: & ex illo sunt mediæ operationes, vt apparet in ædificatione domus, cuius causa est eius inhabitationis amor, ex quo amore, perpenditur non solum ædificatio, sed etiam quæ ædificationem iuuant, vt in-

M 2

quifi-

quisitio operariorum. In ordine ergo meritoria operationis prior & principalior est charitas, & primò mouens. Fides verò deseruit tanquam lucernam præferens, ostendens quomodo & qualiter operari debeat. Illuminatio enim adiutorium est in opere, & illuminator, adiutor, non principalis est operator. In ordine verò preparandi, prior in virtutibus affectus videtur esse humilitas. Si enim omnis peccati initium est superbia: Omnis correctionis principium est humilitas. Huic consonat quod reparator humani generis doctrinam suam inchoauit ab humilitate. Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Secundum glossam pauperes dicuntur humiles. Charitas inter ceteras virtutes, quæ ordinant ad Deum, propinquior est fini, scilicet Deo, quem habet pro fine & materia. Diligit enim Deum propter se. Et cum finem videat; & spes illuc tendat; est enim spes insecutio, sicut timor est fuga; charitas vnio cum fine: Vnde cum finis sit optimum, & fine habeant, quòd sint bona illa quæ sunt ad eundem: charitas primo habet bonitatem inter virtutes, & per eam habent bonitatem cæteræ. Secundum hoc intelligendum est quod dicitur in glossa super illud, 1. ad Tim. 1. quod charitas est radix omnium bonorum, in quantum sunt bona. Et sicut radix humorem mittit ad ramos, sic charitas bonitatem ad opera cæterarum virtutum. Augustinus in sermone de charitate: sicut radix omnium malorum est cupiditas: sic radix omnium bonorū est charitas. Humilitas etiam potest dici radix virtutum, secundum

Eccl. 10.

Matth. 5.

Glossa ord.

Ad illud:

Finis præcep. est, etc.

In tract. de laud. charit. in med.

Tom. 9.

Iam proprietatem qua radix est pars arboris infima, terræ inhærens: sic humilitas infirmitatem suam considerans sub Deo collocat se in loco infimo. Fides etiam potest dici radix, quia radix in arbore est, quasi os in animali. Per radicem enim ingreditur ad arborem eius nutrimentum: sic per fidem ingrediuntur ad animam bona speranda & amanda.

Quomodo fides se habet ad cæteras virtutes.

CAPVT II.

FIdei est providere meditationes disponentes ad cæterarum virtutū operationes. Verbi gratia: Meditatio magnitudinis diuinæ misericordiæ disponit ad spem veniæ. Meditatio diuinæ liberalitatis, ad spem gratiæ & gloriæ. Meditatio diuinæ altitudinis, omni alteri altitudini supereminens, disponit ad Dei reuerentiam. Meditatio diuinæ sapientiæ, omnia quæ agimus lucidè videntis, disponit ad sanctam verecundiam. Meditatio magnitudinis diuinæ dulcedinis disponit ad esuriam sanctam. Meditatio diuinæ bonitatis, qua amore est dignissimus, disponit ad amorem diuinæ amicitæ. Ad dilectionem proximi disponit meditari, quod hoc sit speciale præceptum Christi. Ad amorem Scripturæ sacræ, qua vera prudentia acquiritur, disponit meditatio auctoritatis doctorum eius, & utilitatis ipsius. Est doctor ipse Deus, vel per se, vel per homines veræ sanctitatis: ut patet discurrendo per partes ipsius. Spiritus sanctus reuelavit Moyse quod scripsit de mundi creatione, & de aliis qui ante ipsum fuerunt. Lex Dei

M 3

digito

digito eius scripta est. De iudiciis & tabernaculi
compositione & aliis ad cultum Dei pertinenti-
bus à Deo edoctus est Samuel. Psalmi, soliloquia
sunt Spiritus sancti. Salomonem dormientem
docuit Deus sapientiam. Spiritus sanctus locu-
tus est in Prophetis. Ad doctrinam Euangeli-
cam specialiter pertinet illud: Ego ex ore altissi-
mi prodij. Doctrinam Apostolicam constat esse
Spiritus sancti. Spiritus enim sanctus super A-
postolos descendens, eos de indoctis fecit do-
ctos. Paulus verò dicit se non ab homine didi-
cisse Euangelium: sed per Domini reuelatio-
nem. Ioanni autem in exilio posito, mysteria Ec-
clesiæ à Deo reuelata sunt. Doctrinæ sacræ con-
uenit illud: Ego quasi fluuius Dorix: & sicut a-
queductus exiui de paradiso. Nec solum excel-
lit Scriptura sacra alias Scripturas auctoritate,
sed etiam vtilitate, tanquam diuina. Ego Deus
tuus docens te vtilia: Sobrietatem, & sapienti-
am, & iustitiam, & virtutem, quibus vtilius ni-
hil est in vita hominibus. Ad temperantiam, sci-
licet bonorum temporalium, quæ sunt minima
bona, disponit meditatio internorum & æter-
norum bonorum, quæ sunt magna bona. Gre-
gorius: Vilescunt temporalia: cùm consideran-
tur æterna. Ad eandem temperantiam disponit
meditari, quod bona temporalia comitantur
mala culpæ. Qui enim diues fuerit, non erit im-
munis à delicto. Et sunt impedimentum bo-
norum gratiæ, & difficultatem faciunt perue-
niendi ad bona gloriæ. Ad patientiam & alias
partes fortitudinis disponit meditatio Domi-
nicæ passionis, & multiplicis vtilitatis tribula-
tionis,

*Eccl. 24.**Act. 21.**Gal. 1.**Eccl. 24.**Isa. 48.**Sap. 8.**Hom. 11. in
Euang. ha-
bet aliquid
sale.*

tionis, & futurorum malorum, quæ sancti per transitoria mala euadunt, & meditatio præmij. Gregorius. Consideratio præmij, minuit vim flagelli. Non sunt condignæ passiones huius *Rom. 8.* temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Ad humilitatem & obedientiã disponit meditatio humilitatis & obedientiæ Christi. Ad hoc specialiter monet nos Apostolus: Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu. Et *Phil. 2.* subditur: Exinaniuit semetipsum factus obedi- *Serm. 41. de* ens vsque ad mortem. Augustinus. Medicina tu- *Verbis Do-* moris hominis, est humilitas Christi. Erubescat *mini in* homo esse superbus: quia humilis factus est De- *med.* us. Bernardus. Mementote fratres, Christus ne perderet obedientiam, perdidit vitam. Ad opera pietatis disponit, meditari, quòd pauper corporis Christi membrum sit, & quòd Christus sibi reputat fieri, quod pauperi sit: & quòd in tremendo iudicio specialiter de operibus pietatis disceptatio facienda sit.

Quomodo charitas se habet ad cæteras virtutes.

CAPVT III.

Charitatis est, operibus cæterarum virtutum bonitatem prouidere: quod vt fieri possit, accendenda est dilectio Dei in nobis, ostensione amoris, quæ Deus exhibuit nobis. Sicut enim ignis non melius accenditur quàm igne: ita nec amor melius quàm amore. Nutrienda etiam est Dei dilectio lignis beneficiorum diuinorum, generalium & specialium, quæ à Deo recepimus, & cõtinuè recipimus; vt ex feruenti Dei amore, abundantia operum perfectæ boni-

tatis procedat; ita ut in nobis locum non habeat pigritia, vel negligentia, vel fastidium: nec amor vanæ laudis, vel vanæ gloriæ, vel alicuius terreni emolumenti, charitatis opus præripiat, & sibi vsurpet.

Quomodo humilitas se habet ad cæteras virtutes.

CAPVT IIII.

*Serm. 2. in
nat. Domini
circa fi-
nem.*

*Iacob. 4.
1. Pet. 5.
4. Reg. 4.*

*Hom. 4. su-
per Missus
est. a medio
illius.*

AD humilitatem pertinet, ut si homo passus est ruinam, ipsa reparationi intendat; si immineat ruina, ipsa se opponat: & ut in ædificio spirituali, stabile fundamentum ponat. Bernardus. Sola virtus humilitatis, læsæ est reparatio charitatis. Humilitas ad nihilum peccatorem adducit: ut se nihil reputet, & in valore, & in virtute. Ex hoc nihilo fit recreatio: sicut ex nihilo simpliciter facta est creatio. Hoc non ignorabat Dauid, qui dicebat: Cor contritum & humiliatum Deus non despicias. Qui etiam ait: Cor mundum crea in me Deus. Creatio mundi cordis, facta est ex nihilo humilitatis. Humilitas, quæ cor euacuat, locum Deo præparat. Humilibus dat Deus gratiam. Vasa vacua reple Heliseus. Non patitur natura vacuum, quin impleat: nec gratia cor humile, quin illi se infundat. Humilitas non solum est gratia, sed etiam receptaculum gratiarum. Humilitas gratiam haurit, ut vas inclinatum fonti bonitatis. Humiliare Deo, & expecta manum eius. Manum, inquam, largientem. Bernardus loquens de illo verbo: Ecce ancilla Domini; Semper solet esse diuinæ gratiæ familiaris humilitas. Humilitas ergo respondeat, ut sedes gratiæ præparetur.

retur. Ruinæ imminenti subuenit humilitas: *Lib. 2. de*
 quia secundum Bernardum. Omni indifferēter *confid. pa-*
 personæ est quædam turris fortitudinis à facie *riam à med.*
 inimici. Augustinus. Solus vincitur, qui de se
 præsumit. Humilitas ideo triumphat, quia Deus
 in ea pugnat. Verè humilis, Deo attribuit glori-
 am, quæ est de victoria: & ideo per consequens
 super eum est pugna. Eiusdem enim est pugna,
 & gloria de pugna victoria. Deus apud eum est
 rex gloriæ: & ideo est ei Dominus virtutum,
 virtutem ei conferens. *Lib. 5. de*
 ipse est rex gloriæ. Humilitas in fundamento *confi. circa*
 spiritualis ædificij stabilitatem prouidet. Ber- *finem.*
 nardus in libro de consideratione: Virtutum
 bonum quoddam, & stabile fundamentum est,
 humilitas. Nempe si nutet illa, virtutum aggre-
 gatio nõ nisi ruina est. Augustinus. Cogitas ma-
 gnam fabricam construere celsitudinis, de fun-
 damento cogita humilitatis.

Quomodo timor se habet ad ceteras virtutes.

CAPVT V.

SEquitur de ordinatione timoris Domini ad
 ceteras virtutes, quem Spiritus sanctus po-
 nit principium, & radicem sapientiæ. Timor *Pro. 1.*
 Domini principium sapientiæ. Radix sapientiæ *Eccl. 1.*
 timere Deum. Et notandum quòd cùm sapien-
 tia sit sapore virtutum condita scientia: duo
 pertinent ad sapientiam, scilicet cognitio, & af-
 fectio. Quantum ad cognitionem, timor est
 principium sapientiæ. Primò, quia mundat cor,
 iuxta illud: Timor Domini expellit peccatum. *Eccl. 1.*
 Mundando verò cor facit oculum cordis vide-

- Serm. 62. super Cant. circa finē.* re clarius. Bernardus. Sincero oculo veritas patet. Secundò, quia cum sit fuga mali, fugit & cauet errorem, qui est malum rationis. Homo timoratus non leuiter credit, quod à ratione accipitur, sed diligenter illud examinat. Tertio, quia repellit omnem negligentiam, secundum illud: Qui timet Deum, nihil negligit. Cauet negligentiam in studio, & per diligens studium in sapientia proficit. Quarto, quia tumorem superbiae expellit, qui susceptionem sapientiae impedit: & humilitatem introducit, quae ad sapientiam disponit. Bernardus: Superbo oculo veritas non videtur: Vbi humilitas, ibi sapientia.
- Serm. 62. super Cant. circa finē.* Quantum ad saporem, timor est principium sapientiae: quia est prima affectio. Primò enim oportet animae desipere mala: vt post ei sapiant bona. Bernardus. Bene initium sapientiae timor Domini, quia tunc Deus primò animae sapit, cum eam afficit ad timendum: non cum instruit ad sciendum. Timor cæteras virtutes purificat, opera earum scrutatur: si quid mali in eis inuenitur, facit illud corrigi. Etiam tuta pertimescit. Verebar omnia opera mea. Abundantiam bonorum operum illis procurat. Qui timet Deum, faciet bona: Timor Domini sicut paradusus benedictionis. Qui habet timorem Domini, semper timet ne faciat parum; plus elegit abundare, quàm deficere. Vnde verum est illud: In timore Domini non est minoratio. Eiusdem: Timor Domini in plenitudine commorabitur. Timor etiam cæteras virtutes conseruat. Hieron. Timor, virtutum custos est; securitas, ad lapsum facilis. Timor virtutes cõprimi-
- Iob. 9.*
- Eccl. 5.*
- Ibid. 40.*
- Eccl. 40.*
- Eccl. 27.*

ne euanescent: Nisi te instanter tenueris in timore Domini, cito subuertetur domus tua. Timor declinat pericula: quod multum valet ad conseruationem. In timore Domini declinatur *Pro. 16.* à malo.

Quomodo ergo timor se habeat ad ceteras virtutes, ex prædictis perpulchrè patet inspicienti.

TERTIA PARS. QVOD CLAVSTRALIS debet habere in desiderio, manere in monasterio.

CAPVT I.

SEQUITVR de ordinatione animi respectu locorum. Ad quem primo pertinet, vt is qui in religione est, non leuiter velit de monasterio egredi. Manere in monasterio, in desiderio habeat: egredi verò, in patientia; si obedientia vel charitas vel pietas hoc requirat. Discursus viri religiosi per mundum sine necessitate, nec Deo placet, nec ipsum decet, nec ei securus est. Ad primum pertinet illud: Dilexit mouere *Hier. 14.* pedes suos, & non quieuit, & Domino non placuit. Stabilitas virum religiosum decet, quæ est quasi quædam imago æternitatis. Seneca: *Epist. 2. circa prin.* Primum argumentum mentis compositæ, existimo, posse consistere & secum morari. Vir religiosus qui in claustro manere non potest, frequenter in mundo periclitatur. Semei, dum mansit in Hierusalem, vixit: postquam exiuit de Hierusalem, occisus est: Et Dyna filia Iacob egressa,

*3. Reg. 2.
Gen. 34.*

gressa, vt videret mulieres regionis illius, rapta est & corrupta. Dyna ratione sexus infirmi significat claustralem mente infirmum, qui de claustro egrediens, dum mundi concupiscibilia curiosè considerat, amore rapitur & corrumpitur. *Piscis extra aquam positus, non diu viuit.* *Computrescent pisces sine aqua, & morientur in siti.* Claustralis dum est in claustro bene ordinato, habet verba diuinæ Scripturæ, quibus vita spiritualis ipsius conseruatur. Cùm autem discurret per mundum, aqua ista mutatur in sanguinem, scilicet in verba secularia: & sic occiditur. *Corrumpunt enim bonos mores colloquia praua.* Abel egressus in agrum, occisus est: Simile accidit claustrali à claustro egredienti. Claustrales inquieti, sunt *sydera errantia*, de quibus legitur in canonica Iudæ. Sydera verò ista errantia, aliquando fiunt *sydera cadentia*. Postquam enim discurrendo per mundum, delitiis mundanis assueuerunt, & asperitas religionis eis in dissuetudinem venit: redeuntes ad claustrum, claustralis vitæ asperitatem sustinere non possunt, & apostatæ fiunt: Cadent stellæ de cælo. Stella de cælo cadit, cùm claustralis cœlestem conuersationem deserens, ad seculum redit. Coruus ab arca egressus, ad arcam non est reuersus. Cadaueribus enim est illectus. Sic claustrales per mundum discurrentes, aliquando amore carnalium deliciarum detinentur. Claustrales mundo familiares, sunt sicut *aues cicures*, quæ facile capiuntur. Viro religioso expedit, non solùm ea quæ mundi sunt relinquere: sed etiam obliuisci. Quæ retro sunt obliuiscens,

*Isa. 50.**1. Cor. 5.
Gen. 4.**Matth. 24.**Gen. 8.**Phil. 3.*

uiscens, &c. Seneca: Vt animum possis contine- *Epist. 70.*
 re, primum corporis tui fugam siste; deinde cō- *circa prim.*
 tinuata remedia profunt plurimum. Interrum-
 penda non est quies, & vitæ prioris obliuio. Si-
 ne dediscere oculos, sine aures assuescere sanio-
 ribus verbis; quocunque processeris, in ipso
 transitu, quæ renouent cupiditates tuas, tibi oc-
 current. Ad quietudinem monet Apostolus:
Rogamus vos fratres vt operam detis, vt quieti *1. Thess. 4.*
fitis. Item: Scitis quemadmodum oportet imi- *2. Thess. 3.*
 tari nos, quoniam non inquieti fuimus inter
 vos. Maximè oportet nouitios esse quietos, &
 non citò egredi de monasterio. Seneca: Subdu- *Epist. 7. in*
 cendus est populo tener animus, & parum te- *med.*
 nax recti. Lucæ vlt. Sedete in ciuitate, donec in-
duamini virtute ex alto. Legitur de patre Moy- *Exod. 2.*
 si, quòd vidit eum elegantem & abscondit. Sa-
 piens: Nascendi hanc legem natura fecit, vt ma-
 iora animalia visceribus parentum diutius con-
 tinerentur. Sic multum valet ad hoc quod clau-
 stralis proficiat, si in claustro diu moretur ante-
 quam exeat.

*De ordinatione animi quantum ad locum
 orationis.*

CAPVT II.

ORdinandus est animus respectu locorum
 monasterij. Ordinandus, quantum ad lo-
 cum orationis, correctionis, refectionis, dormi-
 tionis, & locutionis. Ad primam ordinationem
 pertinet, vt is qui in religione est, ad locum ora-
 tionis magnum amorem habeat: & ei magnam
 reue-

*Isa. 2.**2. Par. 20.**Exod. 25.**Pre. 18.**Gen. 28.*

reuerentiam exhibeat. Amare debet illum locum tanquam domum patris cœlestis: vbi ab ipso beneficia recipimus. Locus est eruditionis, locus propitiationis, locus refugij, & locus diuini solatij. Ignorans enim ibi eruditur, nō solum exteriori eruditione per doctores Ecclesiæ: sed etiam diuina inspiratione. Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas. Cū deest humanum consilium, recurrendum est ad diuinum in loco orationis. Cū ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos ad te dirigamus. Peccator ibi veniā suscipit. Quod designatum est in propitiatorio, quod voluit Dominus fieri in tabernaculo. In Psal. Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui. Ad illum locum refugere debent, qui ab hoste inuisibili fortiter impugnantur: sicut tempore guerrę homines refugiunt ad munitiones. Turris fortissima nomē Domini: ad ipsam currit iustus, & saluabitur. Altior enim & potentior hoste efficitur. Terribilis est locus iste, ait Iacob, de loco vbi domus Dei erat ædificanda. Terribilis, inquam, dæmonibus. Locus solatij est ei qui expectat consolationem Israël: qua consolatione indignus est, qui sectatur cōsolationem Esau, id est, consolationem mundi. In templo recepit Simeon consolationem. Luca 2. Ad ordinationem istam pertinet, vt claustralis ad locum orationis libenter veniat, inuitus recedat, horis statutis illuc venire nō differat: ante completionem officij sine necessitate non exeat. Ad locum orationis Spiritus sanctus adducit claustralis.

fratrem: spiritus autem malignus ante tempus
 cum educit. Symeon venit in spiritu in tem- *Luc. 2.*
 plum. Legitur secundo libro dialogorum Gre- *Lib. 2. ca. 4.*
 gorij, quod quidam monachus erat in quodam
 monasterio à Benedicto constructo, qui ad ora-
 tionem stare non poterat: sed mox vt se fratres
 ad orationis studium inclinassent, egrediebatur
 foras. Cumq; Benedictus venisset in illud mo-
 nasterium, & constituta hora, expleta psalmo-
 dia, sese fratres in orationem dedissent, aspexit
 vir sanctus quod eundem qui in oratione ma-
 nere non poterat, quidam niger puerulus per
 vestimenti fimbriam foras trahebat: cuius spe-
 ciem diabolus assumpserat. Ad amandum lo-
 cum orationis monemur exemplo Saluatoris:
 qui magnum amorem ad illum locum se habe-
 re ostendit, in eo quod quando veniebat in Hie-
 rusalem, primo ibat ad templum. Ingressus vr- *Matth. 21.*
 bem primo templum adiit, *Glossa ord.*
 religionis. Chrysostomus. Proprium erat boni *ibid.*
 filij, vt veniens primo curreret ad domum pa-
 tris. Recedētibus parentibus, ipse in templo re-
 mansit: & matri quasi conquerenti de hoc, ait:
 Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quia
 in his quæ patris mei sunt, oportet me esse?

*Quod magna reuerentia est exhibenda lo-
 co orationis.*

LOco orationis magna reuerentia est exhi-
 benda. Non legimus Christum in ista vita
 tantâ iram per zelum ostendisse, quantâ osten- *Ioan. 2.*
 dit cū vidit quod templo debita reuerentia non *Matth. 21.*
 exhibebatur. Tunc impletum est illud Psal. Ze-
 lus

*Exod. 25.**Apoc. 21.**Gen. 28.**Iosue 5.*

lus domus tuæ comedit me. Multis de causis exhibenda est reuerentia loco orationis. Primò, quia à Deo inhabitatur: Faciant mihi sanctuarium: & habitabo in medio eorum: In Psal. Sanctificauit tabernaculum suum altissimus, Deus in medio eius, supple, manet. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Postquam Iacob perpendit Dominum esse in loco vbi dormierat, expauit, & ait: Quàm terribilis est locus iste. Non solum terribilis est locus iste hostibus inuisibilibus: sed etiam hominibus ingredientibus. Maestas enim Dei inhabitantis, timorem reuerentiæ debet eis incurere. Secundò, quia ab angelis frequentatur. Vnde Iacob vidit angelos ascendentes & descendentes in loco vbi domus Dei erat ædificanda. Specialiter dicunt angelos adesse, cum missa celebratur. Gregorius. Quis fidelium dubium habere possit, in illa immolationis hora ad sacerdotis vocem cælos aperiri, atque in illo Iesu Christi mysterio Angelorum choros adesse summis ima sociari, terrena cœlestibus iungi. reuerentia exhibenda fuit loco vbi angelus apparuit Iosue: quanto magis exhibenda est loco orationis, qui ab angelis frequentatur? Salua calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo stas, sanctus est. Tertio, propter sanctos, a quorum honorem dedicatus est. Quarto, propter sacra, quæ ibi continentur, vt sunt sanctorum reliquiæ. Quintò, propter opera excellentia, quæ ibi aguntur. Sextò, propter beneficia quæ ibi recipiuntur. Septimò, propter sanctitatem quam in dedicatione suscepit.

*Quodd quinque pertinent ad reuerentiam loco
orationis exhibendam.*

AD reuerentiam loco orationis exhibendam quinque pertinent. Primum est, vt qui astare debet in cōspectu Dei, cordis puritatem prouideat. Secundum est, vt quantum potest, Dei offensam caueat. Tertium est, vt à terrenis cogitationibus & affectionibus cor expediat. Quartum, vt terrena opera non ibi agantur. Quintum, vt disciplina omnimoda cantando & psalendo seruetur. Necessaria est puritas viro religioso: vt sanctus ante sanctum astet, & immaculatus ante immaculatum. Timédum est id quod per se, & maximè displicet Deo, scilicet peccatum, ante conspectum Dei habere. Mundi sunt oculi tui, vt non videas malum, & ad iniquitatem respicere non poteris. Elegit nos Deus, vt essemus sancti & immaculati ante conspectum ipsius. De contrario conqueritur Dominus. Populus qui ad iracundiam prouocat me, est ante faciem meam semper. Ad cordis puritatē multum valet, si seruus Dei in speculo Scripturæ sacræ faciem animæ suæ frequenter inspiciat: & ad lauacrum confessionis recurrat. Fuit lauacrum ante tabernaculum specula habens: in quibus ingressuri tabernaculum maculas suas videntes eas lauabant. Gregorius. Specula sunt Dei præcepta, in quibus animæ sanctæ semper inspiciunt, & si quæ in eis sunt scditates, deprehendunt. Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ. Lacte lota est anima, candorem lacteū habens. Hieronymus.

Abac. 1.

Eph. 1.

Isai. 65.

Hom. 7. in

Euan. circa

medium.

Cant. 6.

N

Impos-

Impossibile est quenquam Deo placere: quod quid ei placeat, ignorat. Fieri potest, ut voto obsequendi offendat: si quomodo obsequi debeat, ante non didicit. Frequentanda est confessio, ut puritas cordis habeatur. Bernardus in epistolis. Audi, cui places: ama, unde places. Ama confessionem, si affectas decorem. Confessioni imputatur decor. In Psal. Confessio & pulchritudo in conspectu eius. Modum confitendi ostendit Bernardus dicens: Omne quod remordet conscientiam, confitere humiliter, purè & fideliter. Ad humilitatem pertinet, ut culpam tuam, & in his quæ commisisti, & in his quæ commisit, humiliter recognoscas: & miserum statum, ad quem adduxit te peccatum, agnoscas & ut intelligas, quantum Dei gratia sit necessaria, tibi ut eam quæras. Adduxit te peccatum ad nihilum. In Psal. Ad nihilum redactus sum & nesciui. Ad nihilum autem, quantum ad valorem & virtutem. Quam vilis facta es nimis iterans vias tuas. Humilitas vas cordis inclinatur, ut Dei gratiam recipiat. In Psalm. Contritum & humiliatum Deus non despiciet. Pura debet esse confessio sine falsitatis admissione, sine peccati defensione, sine sui excusatione aut commendatione, sine alterius maligna accusatione, sine corrupta intentione. Ad fidelitatem pertinet, quod qui confitetur, fideliter negotia Dei agat: peccata sua manifestans ad Dei gloriam, & sui confusionem. Est enim confessio adducens gratiam. In Psal. Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei. Ad

*Serm. 16. in
Cant. post
medium.*

Hier. 2.

fidelitatem etiam pertinet, vt de effectu & vtili-
 tate Sacramenti veram fidem habeat. Cordis
 puritatem requirunt, & oratio, & Dei laudatio.
 Multum valet cordis puritas ad hoc, vt oratio
 exaudiatur. Iniquitatem si aspexi in corde meo,
 non exaudiet Dominus. Glossa. Puritas oratio-
 nis exauditur. Oratio pura cœlum intrat, & im-
 petrat. Vnde super illud Psal. Intret oratio mea
 in conspectu tuo, dicit glos. Virtus magna puræ
 orationis hîc notatur, quæ quasi quædam per-
 sona ad Deum intrat, & mandatum peragit:
 quò caro peruenire nequit. Aliter est de oratio-
 ne nō pura. Non intrabit in ea aliquid coinqui-
 natum. Laudatio etiã diuina puritatem requi-
 rit: Nō est speciosa laus in ore peccatoris. In Psal.
 Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras
 iustitias meas? Laudatio si fit decora, Deo est io-
 cunda. Psal. Deo nostro iocunda sit laudatio. Dei
 laudatio, est angelica operatio. Vnde angelicam
 puritatem requirit. Bernardus loquens de cœ-
 lesti ciuitate: Eius operatio, est assidua Dei lau-
 datio. In Psal. Beati qui habitât in domo tua Do-
 mine: in secula seculorū laudabunt te. Operatio
 ista Deū honorificat, secundū illud: Sacrificium
 laudis honorificabit me: si tamen ipsa nō sit in-
 honorata. In honoratur, quæ ab ore polluto e-
 greditur. Ostende mihi faciem tuam: sonet vox
 tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis: & fa-
 cies tua decora. si decora est facies, vox est dul-
 cis. Multum cauēda est offensa Dei in loco ora-
 tionis. Valde enim peruersum est, ibi prouocare
 Dei iram, vbi recipimus eius gratiã: Valde cul-
 pabilis est, qui regi gloriæ in loco gloriæ contu-

Glossa ord.
ibid.

Apoc. 21.

Eccl. 16.

Cant. 2.

meliam nō timet inferre. Locus gloriæ est locus orationis, secūdum illud Pſal. Dñe dilexi decorum domus tuæ: & locū habitationis glorię tuę. Locus gloriæ dicitur: quia talis debet esse, ut a Dei gloriā cedat. Decet regē glorię, habitationem gloriosam habere. Nihil erat in templo quod auro non tegeretur. Item locus gloriæ dicitur, quia beneficia Dei ibi recipiuntur: per quos apparet Deus gloriosus. Item opera ibi agenda debemus, quæ Deum glorificent: ut est oratio, adoratio, peccatorum nostrorum confessio, Dei laudatio. Consueuerunt pauperes multum secundum suam facultatem honorare personam sublimem, cū ad eos declinant. Multum Dei maiestas est à nobis glorificanda: quæ ad vilitatem nostram domum dignatur eligere, in qua nobiscum cohabitare vult. Vnde hoc vili vermiculo quod Deus cū eo habitare vult? Cor expectandum est à terrenis cogitationibus & affectionibus. Solue calciamentum de pedibus tuis: locus enim in quo stas, terra sancta est. Bernardus in meditat. Cū ad orandum siue pſallendum in Ecclesiam intraueris, fluctuantium cogitationum tumultum exterius relinque: curam omnium exteriorum penitus obliuiscere: ut libere Deo possis vacare. Fieri non potest, ut cum Deo loquatur, qui cum toto mundo, etiam tibi, fabulatur. Intende ergo illi, qui intendit tibi. Audi illum loquentem tibi, ut ipse exaudiat te loquentem sibi. Cauendum est ne in locum orationis opera terrena agantur. Augustinus in regula. Nemo in oratorio aliquid agat, nisi quod factum est, vnde nomen accepit. Legimus quod

3. Reg. 6.

Exod. 3.

Cap. 6. in
prim.

In 3. reg.
cap. 8.

quod non finebat Saluator, vt quisque transferret vas per templum. Ad disciplinam in cantando & psallendo seruandam, pertinent ea quæ Bernardus tangit super Cant. his verbis: Immo- lantes hostiam laudis, & reddentes vota nostra de die in diem, curemus omni vigilantia iungere sensum vsui, affectum sensui, exultationem affectui, grauitatem exultationi, humilitatem grauitati, libertatem humilitati. Sensus iungendus est vsui, id est, psalmodum intelligentia cum attentione prolationis vocis. Vnde super illud Psal. Psallite sapienter, dicit glossa: Nemo sapienter facit, quod non intelligit. Bernardus. Cibus in ore, psalmus in corde sapit. Non negligat anima illum terere dentibus intelligentiæ, vt si fortè integrum glutiat, frustretur palatum sapore. Dulciora super mel & fauum. Item iungendus est affectus sensui. In libro de vita solitaria. Nunquam intelliges Dauid, donec experientia ipsos psalmodum indueris affectus. Dauid intelligit in illo Psalmo: Domine ne in furore tuo arguas me, &c. qui affectum timoris induerit, vt ad intuitum illius furoris, quem in die illa Dominus exercebit, contremiscat. Hieronymus. Quoties illum diem cogito, toto corpore contremisco. Dauid intelligit in illo Psal. Deus iudicium tuum regi da: qui districtiorem extremi iudicij timet: & ad Saluatorem amorem magnum habet. Duplici enim affectu Dauid poterat incitari ad illud petendum: scilicet timore damnationis, & amore salutis. Item exultatio iungenda est affectui. Hieronymus. Melior est quinque psalmodum cantatio cum cordis puritate,

*Serm 13.
paulo à
fine.*

*Glossa ord.
ex Aug.*

*Serm. 7 su-
per Cant.
circa me-
dium.*

tate, ac serenitate, ac spirituali hilaritate: quæ totius psalterij modulatio cum anxietate cordis atque tristitia. Item, quia leuitas solet commitari exultationem: iungenda est grauitas exultationi. Dauid, In populo graui laudabo te. Et quia homines graues solent contemnere homines leues; vel de grauitate sua vanam gloriam quærere: idè iungenda est humilitas grauitati. Item quia humilitatem quandoque sequitur pusillanimitas, iungenda est etiam humilitati libertas: quæ est, cum cor dilatatum est abundantia gratiæ, vt merè & voluntariè faciat quod pro Deo facit. Vbi spiritus Domini ibi libertas. Sapiens: Libertas est potestas viuendi vt velis. Psalmodia debito modo facta, multum est fructuosa: cum ad aduentum Spiritus sancti sit preparatiua. Gregorius. Vox psalmodiæ cum per intentionem cordis agitur, per hanc omnipotenti Deo iter paratur ad cor: vt intentæ mentis vel prophetiæ mysteria, vel gratia compunctionis infundatur. Cum quidam reges vellent, quod Helizeus prophetaret, ait: Quarite mihi psalterium. Et cum psalleret, excitatus est spiritus eius & prophetauit.

1. Cor. 3.

4. Reg. 3.

Quod dissolutio in choro sit multum cauenda.

ET notandum quod cum viro religioso vbi que cauenda sit dissolutio: specialiter tamen est ei cauenda in choro, vbi ante Deum statur, & diuinæ laudi intenditur. Vnde inter duodecim abusiones claustrum, quæ à B. Bernardo assignantur, dissolutio in choro ponitur. Abusiones illæ sunt istæ: Prælatus negligens, discipulus

pulus inobediens, iuuenis otiosus, senex obstinatus, monachus curialis, Religiosus caufidicus, habitus pretiosus, cibus exquisitus, rumor in claustro, lis in capitulo, dissolutio in choro, irreuerentia iuxta altare. Dissolutio in choro multum cauenda est, quia in illa offenditur Deus, cuius laudi intenditur, quæ ex hoc perturbatur. Offenduntur fratres, quorum deuotio impeditur. Offenduntur angeli psallentibus adiuncti: qui psalmodiam auscultant. In Psalm. Præuenerunt principes coniuncti psallentibus. Quæ habitas in hortis, amici auscultant te, fac me audire vocem tuam. Bernardus super Cant. Psallentibus dignanter angeli admisceri solent: propterea attendite angelos, fratres, cum statis ad orandum & psallendum: & stete cum reuerentia & disciplina. Nimirum missi in ministerium propter nos, vt hæreditatem capiamus salutis. Deuotionem nostram insuper ferunt: referunt gratiam. Vsurpemus officium, quorum fortimur consortium, laudem cum cæli cantoribus in commune dicentes: utpote ciues sanctorum & domestici Dei. Hoc enim bonum est: tum propter nos, ad releuandos vitæ præsentis labores; qui utique tolerabiliores nobis sunt existentibus in laude Dei: tum quia nil ita propriè quendam in terris repræsentat habitationis cælestis statum, sicut alacritas laudantium Deum. Idem: O si quis haberet cordis oculos apertos, videret qua cura quoque tripudio intersunt cantantibus: adsunt orantibus, insunt meditantibus, supersunt quiescentibus, ordinatibus & procurantibus præsumt.

Psalm. 67.

Cant. 8.

Serm. 7. super

per Cant.

circa me-

dium.

In medi-

tat. cap. 6.

paulò post

princip.

*Lib. 3. de
clauſtro a-
nima, cap.
32.*

*In 3. regu-
la, cap. 10.*

Eccl. 35.

*In lib. de
clauſtro a-
nima, c. 22.*

Agnoscunt nimirum supernæ potestates concu-
nes suos; & pro his qui hæreditatem capiunt sa-
lutis, solliciti congaudent: confortant, instru-
unt, & protegent. Ad dissolutionem in choro
hæc pertinent: oculorum euagatio, risus ex de-
fectu fratris prouocatus, incitatio aliorum a
risum per aspectum, vel aliter facta locutio in-
ordinata, præsumptio cantandi aliud quàm
scriptum sit, vel aliter quàm cæteri cantant: ni-
mia vocis exaltatio: modulatio vocis studiosa &
curiosa. Reprehensibilis etiam est in cantu di-
minutio vocis fraudulenta. Oculorum euaga-
tio, mentis euagationem indicat. Hugo de san-
cto Victore: Sunt quidam qui mente vagi, plan-
parietum prospicientes perlustrant, aliud can-
tant, & aliud cogitant. In choro sunt corpore,
in foro mente. Risus prouocatus ex defectu fra-
tris, signum est internæ malitiæ: sicut dolor pro-
uocatus ex profectu fratris. Qui à risu vult ca-
uere, ab aspectu fratrum oculos corporales de-
bet cohibere: & oculos cordis in Deum dirige-
re. Et quia in choro loquimur cum Deo, & Deo
allocationem expectamus, cessandum est ibi ab
humano colloquio. Nihil leuitatis est ibi præ-
sumendum. Augustinus in regula: Quod non
ita scriptum est, vt cantatur: non cantetur. Ca-
uenda est nimia vocis exaltatio. Melius est can-
tare aptè quàm altè. Apud Deum altè cantat hu-
militas, cum cantus eius de cælo audiatur. Ora-
tio humiliantis se nubes penetrabit. Hugo de S.
Victore: Timeo ne sicut delectantur altitudines
vocis, delectentur etiam elatione mentis. Idem
Differt musica Diaboli, à musica Christi. Illa
vocat

voce sublimiori incipit, hæc autem ab humilio-
 ri. Ille ait: Ponam sedem meam ad Aquilonem,
 & ero similis Altissimo. Christus ait: Discite à
 me, quia mitis sum, & humilis corde. Non de-
 cet etiã viros religiosos studiosa & curiosa vo-
 cis modulatio, nec eis expedit, quia animi de-
 uotionem impedit. Bernardus: Sæpè vocem
 meam fregi, vt dulcius canerem; magis delecta-
 bar in vocis modulatione, quàm cordis com-
 punctione. Deus verò, cui nō absconditur quid-
 quid illicitum perpetratur, non quærit lenita-
 tem vocis, sed cordis puritatem. Præponenda
 est dulcedo cordis, dulcedini vocis. Dulcis est
 vox illa, ad quam Altissimus aurem suam incli-
 nare dignatur. Viro religioso contemnenda est
 delectatio, quæ est secundum auditum, sicut &
 delectationes quæ sunt secundum alios sensus.
 Illa delectatione frui, consistendo ibi, non vide-
 tur perfectæ sobrietati conuenire. Gregorius. *Li. 10. con-*
 Cùm blanda vox quæritur, sobria vita deserit. *fess. cap. 34.*
 Augustinus: Cùm accidit, vt me amplius *in fine.*
 cantus, quàm res quæ cantatur moueat, poenali-
 ter me peccasse profiteor. Modulationi vocis in-
 tendentes, vt frequenter potius volunt placere
 hominibus, quàm Deo. Hugo de S. Victore: *Lib. 3. de*
 Sunt alij voce dissoluti, qui vocis modulatione *claustro a-*
 gloriantur, nec tantùm gaudent de dono gra- *nime, c. 22.*
 tiæ, sed alios spernunt tumentes elatione. *Tom. 2.*
 Quanta leuitas vocis, tanta forsitan & mentis. Can-
 tant forsitan, vt placeant populo magis quàm
 Deo. Qui sic cantant, non cantant in choro cum
 Maria sorore Moyfi, sed in palatio cum Hero-
 diade, vt placeant discumbentibus vel Herodi.

*In medi-
 tat. cap. 8.*

*Li. 10. con-
 fess. cap. 34.
 in fine.*

*Lib. 3. de
 claustro a-
 nime, c. 22.
 Tom. 2.*



Tales vendentes & ementes sunt in templo, vendunt cantandi gratiam, humanam ementes gloriam: digni à templo à Salvatore expelli. Studiosa vocis modulatio ad Dei gloriam potest pertinere: sicut & alia quæ ad decorem rerum sacrarum studiose fiunt. Infirmis etiam & imperfectis valere potest ad releuationem laboris præsentis vitæ. Perfectis etiam valere potest ad eleuationem eorum in contemplationem futuræ iocunditatis; tam vt frequenter nociua est ipsis cantantibus, & maioris boni impeditiua. Cauenda est fraudulenta vocis diminutio, qualis est in iis qui per se cantantes sonorius cæteris cantant: cantantes verò cum aliis sibi parant, à communi labore se subtrahentes, onus psalmodiæ & cantus super alios relinquentes. Quod accidere solet hominibus, qui magis volunt placere hominibus, quàm Deo. Nolunt enim in cantu communi laborare, cum in hoc non appareant hominibus. Modum psallendi ostendit Bernardus his verbis: Moneo vos dilectissimi, purè semper ac strenuè diuinis interesse laudibus. Strenuè quidem, vt sicut reuerenter, ita alacriter Domino assistatis, non pigri, non oscitantes, non somnolenti, non parcentes vocibus, non præscindentes verba dimidia, non integra transilientes, non fractis & remissis vocibus, muliebri quidem balbutiente voce consonantes: sed virili, vt dignum est, sonitu & affectu voces Spiritus sancti depromentes. Purè verò, vt nihil aliud quàm quod psallitis cogitetis. Nec solas dico cogitationes vanas & otiosas vitandas, sed vitandæ sunt etiam & illæ, illa hora &

*Serm. 47.
super Cant.
circa finē.*

& illo loco, quas officiales fratres pro communi necessitate quasi necessariò frequenter admittere compelluntur. Sed nec illa quidem profecto tunc recipere consuluerim, quæ forte paulò antè in claustro sedentes in codicibus legeratis, qualia, me & nunc viua voce differente, ex hoc auditorio Spiritus sancti recentia reportatis. Salubria enim sunt, sed minimè illa inter psallendum salubriter reuoluuntur. Spiritus enim sanctus illa hora gratum non recipit, quidquid aliud quàm debes, neglecto eo quod debes, obtuleris.

Quòd reuerentia multa iuxta altare sit adhibenda, & irreuerentia multum cauenda.

Sicut multum cauenda est dissolutio in choro: sic multum cauenda irreuerentia iuxta altare. Ad exhibendam reuerentiam ibi, primo mouet præparatio quã sacerdos & ministri accessuri ad altare faciunt, in ablutione manuum & oris, & ornatũ sacrarum vestium, & cõfessione. Inurbanum. n. est non lotis manibus, id est, operibus, ad mensam regis gloriæ accedere. Necessaria est accedentibus ad altare manuum puritas, cum secundũ puritatem manuum Deus retribuat, id est, secundũ puritatẽ actionum. Aug. Meli⁹ est, penitus spirituala omitti, quã impurè tractari. Puritas etiã oris necessaria est, cum in hoc membro magis indecens sit immunditia: & hoc membrũ sit magis diuino officio deputatũ. Candor etiã innocentia cum ornatu cæterarũ virtutũ in ministris ad altare accedentib⁹ debet splendere. Defectus verò si quis adest, humilitate cõfessionis

nis

nis debet suppleri. Bernardus. Apud Dominum fratres ius habere non possumus, quia in multis offendimus omnes: sed nec fallere eum. Ipse enim nouit abscondita cordis, quanto magis opera manifesta? Nec resistere viribus, quoniam omnipotens est. Quid ergo restat, nisi ad remedia humilitatis tota mente confugere: & quicquid in aliis minus habemus, de ea supplere? Periculosum est ad altare absque præparatione accedere, ut figuratum est Leuit. 16. Vbi Dominus dixit Moyfi: Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur sanctuariū, quod est intra velum coram propitiatorio, quo tegitur arca, ut non moriatur (quia in nube apparebo super oraculum) nisi hæc ante fecerit, &c. Tunica linea vestiatur, fœminalibus lineis verenda celabit. Accingetur zona linea, cydarim lineam imponet capiti. Tunica linea pertinet ad candorem innocentiae, quæ est ei necessaria, ut scilicet sit absque nigredine malitiæ. Fœminalia linea pertinent ad continentiam, zona linea ad sobrietatem, ut sit sine ventris ingluuie. Cydaris linea ad intentionis puritatem. Reuerentiam etiam requirit sanctitas vasorum, quæ tractari debent. Mundamini qui fertis vasa Domini. Omnis homo, qui accesserit ad ea, quæ consecrata sunt, in quo est immunditia: peribit coram Domino. Item reuerentiam requirit sacrosanctum corpus Dominicum. Interfectus est Oza tangens arcam. Caussam huius dicunt Hebræi fuisse, quod in nocte præcedenti cum propria vxore dormierat. Si temeritatem illam si punitur Dominus, quanta pœna digni sunt, qui

Isa. 52.

Leuit. 22.

2. Reg. 6.

fine reuerentia ad Dominicum corpus accedunt, cuius figura fuit arca? Sacerdotes qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos. Item reuerentiam requirit ministerium angelorum, qui ministris Ecclesiæ in altaris ministerio associantur. Cum contraria iuxta se posita magis fiant manifesta, magis indecens est impuritas ministrorum Ecclesiæ, puritati angelorum præsentium comparata. Maximè cauenda est irreuerentia his qui corpus dominicum sunt accepturi. Legitur enim in libro Paschasij, quod quicumque indignè communicant, nisi bonitas Christi, cuius iudicio omnia pendent, gladium suspenderet, & temporalem mortem, vt pœniteant, remoueret: ab angelis ad hoc positus perimerentur. Irreuerentia ista non solum in futuro: sed etiam in præsentem punitur. Vnde post illud: Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit: subditur: Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. *Glos. Infirmi febribus & aliis infirmitatibus; imbecilles, longa inualetudine; dormiunt, id est, moriuntur morte corporali. Irreuerentia ista comparatur peccato crucifigentium Christum. Quicumque manducauerit panem, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Ambrosius.*

Exod. 19.

1. Cor. 11.

*Glossa interlineari
ibid.*

Ibid.

Mortis Christi pœnas dabit, id est, ac si
Christum occiderit, punietur.

De

De ordinatione pertinente ad locum correctionis.

CAPVT III.

Sequitur de ordinatione pertinente ad locum correctionis. Ad hanc ordinationem primò pertinet, vt is qui in religione est, correctionem multum diligat. Multum amanda est correctio, etiam ab eo qui est in seculo, sed amplius ab eo qui est in claustro. Quadruplici ratione amanda est correctio à quocunque. Prima est, quia corrigibilitas distinguit inter hominem malum & diabolum. Homo malus dum est in hac vita mortali, susceptibilis est correctionis, diabolus non. Vnde incorrigibilitas multum assimilat hominem diabolo, secundum illud: Qui odit correctionem, vestigium est peccatoris. Sicut vestigium valde est simile pedi, sic qui odit correctionem, valde similis est diabolo, qui antonomasticè dicitur peccator. Secunda ratio, quia correctio valde congruit loco in quo sumus. In cælo non habet locum correctio, cum nulla ibi sit corruptio peccati. In inferno verò nō est possibilis correctio, licet sit ibi peccati corruptio. Sed in hac valle miseræ, est & peccati corruptio, & possibilis correctio. Ad hoc posuit Deus hominem in hoc loco, vt sub virga diuinæ disciplinæ viueret: & mala sua ibi corrigeret. Corrigibilitas est maximum bonum presentis vitæ, vel de maximis bonis. Hoc bono nō amato, bonum esset peccatori si natus non fuisset. Melius esset ei esse canem vel bufonem, quàm hominem. Tertia ratio est, quia correctio est multum utilis; virga correctionis fructifera est.

Eccl. 25.

est. Vnde signata est per illā virgam, quæ protu- *Num. 17.*
 lit flores & amigdala. Melior est manifesta cor- *Pro. 27.*
 rectio, quàm amor absconditus. Virga atq; cor- *Ibid. 29.*
 rectio tribuit sapientiam. Quarta ratio est, quia
 defectus correctionis valde est noxius, & peri-
 culosus. Vbi deest correctio, abundat peccati
 corruptio. Vnde qui odit correctionem, amare
 videtur corruptionem. Propter quod qui hic
 non corrigitur, in futuro damnabitur. Proiecit *Exod. 4.*
 Moyses, & versa est in colubrum. Coluber occi-
 dit, virga non. Si percusseris eum virga, non mo- *Pro. 25.*
 rietur. Virga correctionis in colubrum verti-
 tur, quia qui hic non corrigitur, in futuro à ser-
 pentibus infernalibus cruciabitur. Qui odit in- *Pro. 15.*
 crepationes, morietur. Qui odit correctionem, *Eccl. 19.*
 minuetur vita; & vita naturæ, & vita gratiæ.
 Viro qui corripientem se dura ceruice contem- *Pro. 29.*
 nit, repentinus ei superueniet interitus. Amor
 correctionis signum est sapientiæ. Argue sapi-
 entem, & diliget te. Vir prudens & disciplina- *Pro. 9.*
 tus non murmurabit correctus. E contrario o- *Eccl. 10.*
 dium correctionis signum est insipientiæ. Qui *Pro. 12.*
 odit increpationes, insipiens est. Insipiens gra-
 tiam correctionis reputat iniuriam & contu-
 meliam: ideo non volens ei vicem reddere, si
 potest, diffamat eum. Qui arguit impium, sibi *Ibid. 9.*
 maculam generat.

*Quòd specialiter amanda est correctio ab eo
 qui est in religione.*

Specialiter amanda est correctio ab eo qui est
 in religione. Religio enim est locus cor-
 rectionis.

rectionis. Ad hoc homo ingreditur eam, ut mala sua ibi corrigat. Incorrigibilitas est specialis causa, quare aliquis à religione est expellendus, quando scilicet culpas non timet committere & pœnam recusat ferre. Gratia valde necessaria est ei qui in religione est, ad hoc quòd bene habeat ad correctionem: quæ gratia si desit, frequenter est in perturbatione, nec in religione proficit, & vix ibi perseverat. Ad amorem correctionis primo pertinet, ut claustralis ad locum correctionis libenter veniat. Locus iste hostibus nostris est terribilis, dæmonibus scilicet, & vitiis. Dæmones locum illum & metunt & odiunt. Quando enim frater ea quæ diabolus ei suggessit, humiliter ei qui locum Dei tenet, ostendit, & disciplinæ humiliter se subdit, diabolus tristatur, ac si ipse flagellaretur. Legitur quòd cum B. Benedictus quendam monachum, quem niger puerulus à loco orationis extrahebat, virga percussisset, non est antiqui hostis ausus dominari in eius cogitatione: ac si ipse percussus fuisset ex verberibus. Et sicut locus correctionis diabolo est exosus: sic Spiritui sancto valde est gratus. Peccata enim ibi arguuntur, & remittuntur. Argutio verò peccatorum & remissio, ad Spiritum sanctum pertinet. Arguet mundum de peccato. Libenter debet claustralis venire ad iudicium capituli, per quod euasurus est districtum iudicium Dei. Quod tamen multi non faciunt. Peccator homo virabilem correptionem. Item ad amorem correctionis pertinet, ut claustralis libenter accusationem faciat. Accusationem verò sui ab alio factam patienter

*Lib. 2. ca. 4.
Dial. Greg.*

Ioan. 16.

Eccl. 32.

patienter sustineat: & correctioni eius qui præ-
 est acquiescat. Plus debet odire mala sua, quàm
 mala alterius: & amplius ea persequi. Seruus ve-
 rè humilis, secundum Bernardum, non vult hu-
 milis prædicari. Conscientiam magis amplecti-
 tur quàm famam: plus diligit bonitatis purita-
 tem, quàm nomen. Et non solum qui præest, sed
 etiam fratres qui adsunt, reputat volentes & va-
 lentes suis infirmitatibus mederi, ad minus o-
 rando: ideo infirmitates suas eis libenter mani-
 festat. Illos verò qui eum accusant, reputat ob-
 sequentes, non persequentes: medicantes, non
 sagittantes. Ideò nec irascitur contra eos, imò
 patienter accusationem sustinet, quod valde
 laudabile est. Augustinus ad Hieronymū. Cum
 satius sit à tenendo itinere in nullo, quam in ali-
 quo declinare: multo tamen est mirabilius &
 laudabilius libenter accipere corrigentē, quam
 audacter corrigere deuiantem. Acquiescere
 corrigenti signum est discretionis: non acquie-
 scere verò, signum est stultitiæ & peruersitatis. *Pro. 17.*
 Plus proficit correctio apud prudentem, quàm
 centum plagæ apud stultum. Si contuderis *Ibid. 27.*
 stultum in pila, quasi ptisanas feriente desuper
 pilo, non auferetur ab eo stultitia eius. Peruersi *Eccl. 1.*
 difficile corriguntur. Peruersus est, qui intelle-
 ctu & affectu est corruptus.

*Quomodo se debet habere in loco correctionis, qui
 iudicat & qui accusat.*

ET notandū quòd in loco correctionis cun-
 cta ordinatè sunt facienda. Multum enim
 O cauen-

cauendum est ne culpæ augeantur, vbi debet deleri: & ne locus correctionis fiat locus corruptionis. Multum cauendum est ei qui præest, quod iniustitias aliorum debet corrigere, ne iniustus agat. Cauendum est illi qui accusat, ne accusatio eius sit accusabilis, vel reprehensio reprehensibilis. Ille verò qui accusatur, sic se debet habere, vt eos quos exemplo suo malo scandalizauit, humilitate & patientia sua ædificet, & non amplius scandalizet. Omnes ibi reuerenter se debent habere, cum iudicium capituli imago quædam sit iudicij diuini futuri. Non debent de defectibus fratrum, qui manifestantur, ridere: sed compati, & pro eis orare. Iustitiâ eius qui præest debet comitari discretio, pietas & mansuetudo. In eo qui accusat, apparere debet charitas & modestia. In eo qui accusatur, humilitas, patientia & obedientia. Quod discretio & mansuetudo sint necessarię, significatũ est in hoc quod in arca fuerunt cum virga testamenti tabulæ & manna. In virga. n. intelligitur correctio: In tabulis, vbi lex erat scripta, discretio: in manna, mansuetudo. Pietas necessaria est. Ignis. n. zeli ardere debet oleo misericordiæ. Greg. super Ezechielem. zeli sancti discretio, de virtute misericordiæ necessarium est vt ardeat. Aug. Duo sunt nomina, homo, peccator. Quia peccator est, corripere: quia homo est, miserere. In Psal. Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me. Nolite quare inimicum existimare illum: sed corripite vt fratrem. Ad discretionem eius qui præest, primo pertinet, vt correctionem efficacem opus diuinum esse intelligat: & ideo ante correctionem, orationem

Hom. 12. 4. liquantulum à fine.

2. Thes. 5. 14.

nem debet præmittere: & si viderit fratrem correctum, Deo inde debet gloriam dare, & gratias agere. Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit. *Eccl. 7.* Cōsiderandum est, quæ opera sint propriè Dei, alterius virtuti nō possibilia: inter quæ correctio inuenitur. Ad discretionē eius etiā qui præest, pertinet, vt agnoscat quæ culpæ secretò, & quæ manifestè sint corrigendæ. Occulta culpa secreto est corrigenda, maximè si infamiam generat: Si peccauerit in te frater tu⁹, corripe eum inter te & ipsum solum. *Matth. 18.* Manifesta culpa manifestè est corrigenda. Peccantes coram omnibus, argue: vt & ceteri timorem habeant. Quod dicitur coram omnibus, referendum est ad participium & ad verbū. Ifidorus: Manifesta peccata, non sunt occulta purgatione purganda. Palam arguēdi sunt, qui palam nocent: vt dum aperta obiurgatione sanātur, hi qui eos diligunt, imitando corrigantur. Item ad discretionem eius qui præest pertinet, vt agnoscat cui vel quando debeat parcere vel punire. Cū parcere & punire sint contraria, & contrariorum eadem sit disciplina, qui nescit parcere, nescit punire. Gregor. Siue plectendo, siue parcēdo, hoc solū bene agitur, vt vita hominum corrigatur. Attendendus est status personarum, quæ corriguntur, quia non sanat oculum, quod sanat calcaneum. Cum veterano parcius agendum est: vt ait Seneca. 1. ad Timoth. 5. Senio- *Epist. 25.* rem ne increpaueris, sed obsecra vt patrem. *paulò à principio.* Qui nō possunt benignitate corrigi: terrore sunt corrigendi. Augustin. ad Bonifacium. Quidam dixit; pudore, & liberalitate liberos retinere, fatius

*Epist. 50.
circa med.*

fatius esse credo, quàm metu. Et subdit Augustinus: Hoc verū est, sed sicut meliores sunt quos dirigit amor: ita plures sunt quos timor corrigit. Isidorus: Qui blando verbo castigatur, & non corripitur: acrius necessarium est, ut arguatur. Cū dolore enim abscindenda sunt, quæ leniter sanari non possunt. Mansuetudo necessaria est in correctione. In Psal. Superuenit mansuetudo, & corripiemur. Seneca: Vitia animi, sicut vitia corporis, leuiter tractanda sunt. Gal. 6. Vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tuleris. Agnoscens infirmitatem propriam compatitur alienæ: & in mansuetudine proximum corrigit. In Psal. Sciant gentes quoniam homines sunt. Intellige quæ sunt proximi tui ex te ipso. Gregorius. Omnipotens Deus idcirco principem Apostolorum permisit cadere: ut a culpa sua disceret, qualiter aliis misereri deberet. Super omnia cauendum est ei qui in loco correctionis præest, ne ira ei dominetur. Ira enim, furor breuis est, secundum sententiam sapientis. Ira aufert veram iustitiam, iuxta illud Iacob. 1. Ira enim viri iustitiam Dei non operatur. Ira discretionem minuit, quia impeditur animus, ne possit cernere verum. Ira misericordiam aufert, iuxta illud: Ira non habet misericordiam. Ira contraria est mansuetudini. Mansuetudo enim est temperantia in vi irascibilis sicut sobrietas vel continentia est temperantia in vi concupiscibili. Ira verò est turbatio irascibilis. In accusante debet charitas apparere. Virga enim correctionis procedere debet de radice

*Eccl. 31.
Hom. 21. super
Euang.
circa med.*

*Seneca ep.
18. circa finem.
Pro. 27.*

animi

ce Iesse, id est, incendio amoris. Illos verò liben-
 tius debet accusare, quos amplius amat. Ego
 quos amo, arguo & castigo. Sunt aliqui qui illos *Apoc. 3.*
 maximè volunt corrigere, quos videntur non
 amare: quorum correctio, ab his quib⁹ adhibe-
 tur, non reputatur correctio, sed hostibilis per-
 secutio. Modestius etiam debet accusare alium
 quam seipsum: Seruum Domini oportet esse *2. Tim. 2.*
 patientem, cum modestia corripientem. In eo
 qui accusatur, humilitas & patientia debent ap-
 parere: vt erubescibilia sua humiliter & patien-
 ter audiat. Apparere etiam debet in eo obedi-
 entia: vt scilicet in susceptione disciplinæ patien-
 ter obediat. Sicut, iuxta verbum sapientis, fabri-
 cando fabri, & cytharisando cytharistæ fimus:
 ita audiendo erubescibilia nostra & quæ nobis
 displicent patiando, humiles & patientes effici-
 mur. Si verò videatur ei qui accusatur, quòd ille
 qui præest, minus iustè se habeat ad memoriam
 debet reducere, quod Saluator patientiam ha-
 buit, cum Pilatus eum iniustè iudicauit: & quòd
 à militibus iniustè flagellatus fuit. Bernardus.
 Stetit Iesus ante præsidem inclinato capite, de-
 missis aspectibus, vultu placido, sermone raro,
 paratus ad opprobria, promptus ad verbera. Lis
 in capitulo maximè cauenda est, quæ inter abu-
 siones claustrum enumeratur. Ad eandem verò
 cauendam multum valet, si hi qui innocentes &
 maioris perfectionis sunt, taceant: & eum qui
 præest pro se respondere permittant. De quo ex-
 emplum habemus: vbi Phariseo obloquente *Luc. 7.*
 Mariæ Magdalenæ. Maria tacet: Saluator pro *Ibid. 10.*
 eâ respondet: Martha accusante Mariam, Maria

O 3 tacet:

tacet: Saluator respondet. Ex eo quòd ille qui præest pro innocente, iniuste accusato, non loquitur, aliquando occasio est, quòd innocens pro se loquitur, & lis inde oritur.

Sequens capitulum de ordinatione pertinente ad locum refectionis.

CAPVT III.

Sequitur de ordinatione pertinente ad locum refectionis: ad quam pertinet quòd claustralis cibum corporis ad sustentationem non ad delectationem quærat: cibum verò spirituales ibi non negligat. Cibum exquisitus non congruit deserto claustris. Vnde conuenienter inter claustris abusiones, cibum exquisitus enumeratur. Quod claustris apponitur, disciplina, sine murmure, cum gratiarum actione debet sumere. De disciplina ista quære in 2. lib.

Sequens capitulum de ordinatione pertinente ad locum dormitionis.

CAPVT V.

Sequitur de ordinatione, ad locum dormitionis pertinente. Ad quam ordinationem primo pertinet: vt in statu periculoso claustris non dormiat. Secundò, vt lecti mollitiem non quærat. Tertio, vt nudus non iaceat. Quarto, vt pigredo ei somnũ non immittat. Quintò vt pigritia eum in lecto non detineat. Sextò, vt brutaliter non dormiat. Septimò, vt somnus inordinatus tempus oportunius spiritualibus exercitiis

citis non impediatur. Nō est securum dormire in
 potestate diaboli, scilicet in peccato mortali. Su-
 per illud Psal. Immissiones p̄ angelos malos, di-
 cit Aug. In malis potest diabolus, sicut homo in
 suo pecore: nisi prohibeatur à maiore. A diabo-
 lo captiui tenentur ad ipsius voluntatem. Sicut
 vbi abundant latrones, homines domos suas
 scrutantur, antequam lectum suum intrent, ne
 latrones ibi lateant: sic claustralis debet domum
 conscientiaē suae perscrutari, antequam obdor-
 miat, ne latro infernalis ibi lateat. Multum ti-
 mendum est illi, super cuius caput iustitia Dei
 tenet gladium euaginatam, sic obdormire. In
 tali statu est, qui est in peccato mortali. Fugite à
 facie gladij: quia vltor iniquitatis est gladius.
 Multū timendum est obdormire ad portam in-
 ferni. Quasi ad portam inferni est, qui est in pec-
 cato mortali. Limē corporis diuidit inter ipsum
 & infernū. Si enim anima separetur à corpore,
 quasi in puncto descendit in infernum. Iuxta il-
 lud: Ducunt in bonis dies suos: & in puncto ad
 infernum descendunt. Non debet claustralis
 quietem somni dare corpori suo, donec locum
 quietum praeprauerit in se Deo, & Spiritui san-
 cto. Si dederō somnum oculis meis, & palpebris
 meis dormitionem: & requiē temporibus meis,
 donec inueniā locum Dño. Antequam obdor-
 miat, de malis suis à Deo debet veniā petere: &
 oratione, & signo crucis cōtra tētationes se mu-
 nire. Non debet lecti molliciē quærere. Saluator
 in Passione sua lectum durum habuit, scilicet li-
 gnū crucis: & illi, qui exēplo & amore eius cru-
 cē claustralis poenitentiaē ascendit, durities lecti

Psal. 77.
inter me-
dium &
finem.
2. Tim. 2.

Iob. 19.

Iob. 21.

Psal. 4.

*Eccl. 32.**Pro. 19.**Pro. 26.**Paulò ante
medium
libro in
Bernard.**Paulò ante
medium
libro in
Bernard.**Iob. 8.**Isa. 26.**Sap. 16.*

magis quam mollities cōgruit. Augustinus. Lectum suum diuisit Christus discipulis suis. Idem. Moriatur in cruce, qui vult crucifixum placatum videre. Non debet claustralis nudus iacere. Lecti durities ad hoc valet, vt surgat libentius. Qui iacet indutus, ad hoc valet, vt surgat facilius: & vt surgendo tristetur minus. Hora surgendi non te tristet. Item cauere debet ne pigritia somnum immittat. Pigredo immittit soporem. Item ne pigritia eum in lecto detineat. Sicut ostium vertitur in cardine suo: ita piger in lecto suo. Cauere etiam debet ne brutalitate dormiat. In libro de vita solitaria. Caue in quantum potes serue Dei, ne totus aliquando dormias: ne sit somnus tuus, non requies lasi, sed sepultura corporis suffocati. Carnalis somnus & brutus, sicut dicitur lethæus, abominandus est seruo Dei. Ad hoc quod somnus non sit brutalis, duo valent, scilicet sobrietas in sumendo cibum: & sensuum custodia. In libro de vita solitaria. Sobrium cibum sobriumq; sensum, sequitur sobrius somnus. Cauere etiam debet claustralis, ne tempus matutinum somnus inordinatus occupet. Oportunius enim est orationi, lectioni, & meditationi. Si diluculo con surrexeris ad Deum, & omnipotentem deprecatus fueris, si mundus & rectus inceseris, statim euigilabit ad te: & pacatum reddet habitaculum iustitiæ tuæ. In Psal. Mane astabo tibi, & Mane vigilabo ad te. Solent diuites primo pauperi dare, qui eis occurrit. Sic Deus libenter exaudit orationem mane factam: Oportet praenire solem ad benedictionem tuam. Filij Israe


colla

colligebant manna hora matutina: Illa hora *Exod.16.*
dulcedo Spiritus S. suscipitur.

De ordinatione pertinente ad locum locutionis.

CAPVT VI.

Sequitur de ordinatione pertinente ad locum locutionis. Et est notandum quod cum lingua, quantum ad locutionem, speciale fit organum rationis: ad hanc ordinationem primo pertinet, vt lingua in hunc actum non exeat, quin actus rationis precedat, scilicet examinatio sermonis qui dicendus est. Vnde in Psalm. dicitur iusto, quia lingua eius loquetur iudicium, id est, sermonem examinatum. Item cum mors & vita sint in manibus linguæ, pertinet etiam ad hanc *Pro.18.* ordinationem, vt cum timore lingua exeat in actum loquendi. Item cum gubernatio linguæ fit valde difficilis & valde utilis: premittenda est oratio locutioni. Domini enim est gubernare *Pro.16.* linguam. De disciplina in locutione require, supra libro 2. Specialiter debent claustrales cauere relationes rumorum de negotiis secularibus. vnde inter abusiones claustri, rumor enumeratur. Qui ad claustrum rumores seculares afferunt, mundum quodam modo in claustrum introducunt: & faciunt fratres reminisci, quæ oportuit eos obliuisci. Periculum fratrum videntur amare, qui in nauis religionis aquam maris huius mundi volunt ponere.



O S

INCI-

INCIPIT QUARTA PARS IN QVA
 agitur de ordinatione animi respectu temporum. De
 ordinatione secundum diuersitatem
 temporum.

CAPVT I.

DICTO de ordinatione respectu locorum:
 dicendū est de ordinatione respectu tē-
 porum. Ad hanc ordinationē pertinet, vt
 is qui in religione est, debito modo se habeat de
 nocte, de die, ante prandium, post prandium: in
 diebus festiuis, & non festiuis, tempore prosperi-
 tatis & aduersitatis, tempore iuuentutis & se-
 nectutis: in statu incipientis, profectus, & perfe-
 ctionis. Ordinationem istam in parte ostendit
 Hugo de S. Victore his verbis: Tempora agendi
 discurrenda sunt. Alius modus est viuendi in
 die, alius in nocte. Nox est tempus silentij &
 quietis: dies tempus laboris, motionis & operis.
 In nocte secum debent esse homines: & aut fessa
 membra reficere: aut orationibus vel medita-
 tionibus sanctis in silentio animum exercere.
 In die verò de secreto suo in vnum coeunt: ad
 inuicem rursus videndos se, & imitandos, o-
 stendunt. Tunc exempla bonorum operum,
 tunc exhortationes sanctorum verborum dare
 & accipere alterum licet. Tunc qui alienos actus
 scrutatur, impudens iure dicitur. Tunc qui alie-
 nos actus, qualiter expedit, imitari dissimulat,
 torpens vel inutilis merito nominatur. Sed nec
 eadem debet esse facies nostra, postquam refe-
 cti sumus: quæ fuit priusquam cibum sumere-
 mus. Ante enim cibum sumptum magis hilares
 nos

*In tract. de
 institut. no-
 uit. cap. 4.
 in princip.*

nos esse conuenit: ne ipsa nostra abstinentia gra-
uis & molesta esse videatur. Post verò magis
modestos & tacitos: ne per gulæ vitium crapula
nos inflammasse putetur. Ante sumptum ci-
bum doctrinæ & orationis tempus est: post verò
operis: quia & tunc exercendus est animus, dum
adhuc ad studium spirituale leuis est: & tunc re-
primenda est caro, quando calor incentiui eius
per cibum amplius excitatus est. Sic & festi dies
aliud studium, & alium conuersationis modum
exigunt: atque hi in quibus operari licet expo-
scunt. In illis nos oportet deuotioni intendere,
atque in oratione diutius perseuerare: habitu,
incessu, & actu, maiorem deuotionem erga cul-
tum diuinum demonstrare: nihil non sanctum,
nihil non diuinum, nihil non ordinatum agere:
linguam à vaniloquio cohibere, pedes ab ex-
cursu & discursu restringere, oculos compri-
mere, vultum inclinare, mentem erigere, om-
nem denique actum & omnem motum cordis
pariter ministerio diuino mancipare, atque vt
ita dicam, quadam conuersationis nouitate fe-
stos dies honorare. In cæteris verò diebus, in
quibus operari licet, nullus omnino otiosus ap-
parere: sed vnusquisque in eo quod iniunctum
fuerit sibi, non quod ipse elegerit, quantum sci-
entiæ & virtutum suarum possibilitas suppetit,
debet exercere. Quantum enim decoris addit
diebus festiuis quies vacationis, tantum orna-
menti confert cæteris diebus studium boni o-
peris, ita vt in illis quicumque noluerit esse quie-
tus, index sit vanitatis suæ: & in istis qui non
fuerit studiosus, testis pigritiæ. Carnales siqui-
dem

dem mentes, ne in illis diebus quiescant, vanitas exagitat; vel ne in istis bono opere se exercent, pigritia ligat. Quapropter non negligenter quidem in bono opere habenda est discretio temporum, quia sicut malum opus nullo tempore laudabile est, ita opus bonum quodammodo reprehensione dignum iudicatur, si tempore oportuno factum non est. Debet seruus Dei diebus festiuis considerare gratiam, quam sancti in præsentia vita habuerunt: & gloriam ad quam peruenerunt. Laudibus sanctorum, & eius à quo gratiam & gloriam habuerunt, insistere: exemplis eorum se prouocare, amorem & suffragia eorum acquirere, gloriæ eorum cōgaudere, & exemplis eorum prouocatus, & de Dei liberalitate, & suffragiis eorum confisus, similem gloriam desiderare & sperare.

Sequitur quomodo se debet habere seruus Dei, tempore prosperitatis & aduersitatis.

Pro. 1.

Tempore prosperitatis seruus Dei amplius debet timere, quam tempore aduersitatis. Periculosior enim est prosperitas, quam aduersitas: cum secundum Gregorium, aduersitas faciendo, erudiat: prosperitas blandiendo seducat. Prosperitas stultorum perdet eos. Tempore prosperitatis maiori discretione debet se regere. Seneca: Tunc consilia salutaria aduoca, cum tibi alludit vitæ prosperitas. Tunc te inter diem in lubrico retinebis ac sistes. Potius indiget lumine, qui incedit per lubrica loca: quam qui incedit per loca arida. Sic lumen sapientiæ magis
neces-

necessarium est homini in prosperis, quam in aduersis. Prosperitatem comitari solet securitas, gaudium, elatio animi. Quodlibet verò istorum occasio solet esse præcipitij. In Psal. Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum. Et subditur: Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Sicut vinum purum habentes capita debilia infatuat: sic gaudium temporale cordibus infirmis nocet, nisi temperetur aqua tribulationis, vel saltem memoria. In die bonorum ne immemor sis malorum: nec in die malorum immemor sis bonorum. Tempore prosperitatis necessarius est vsus temperantiæ: tempore aduersitatis vsus patientiæ. In periculo est cui in prosperis deest temperantia: vel in aduersis patientia. Vnus perit aquis deliciarum, alius aquis tribulationum. Eccl. 11.

Quòd otiositas multum cauenda est iuueni.

Iuuentutis tempore specialiter cauenda est, & timenda otiositas. Vnde inter abusiones claustri enumeratur iuuenis otiosus. Et secundum Hugonem de S. Victore: Large dicitur iuuenis, non solum ille, qui est in adolescentia: sed etiam ille qui est in ætate matura. Quadruplici ratione reprehensibilis est otiositas in iuueni. Primò, quia hæc ætas labori est congrua. Secundò, quia doctrinæ & assuefactioni est idonea. Vnde vituli in iuuentute domantur, & equi tunc ambulationi assuescunt: in senectute verò non sunt susceptibiles talium. Tertiò, quia hæc ætas prona est ad leuitatem: ideo onere laboris stabilenda est. Maturitatem quam in senibus facit Lib. 2. de claustro anima, cap. 14. à med. Tom. 2.

ætas:

Eccl. 32.

*Lib. 2. de
clauſtro a-
nima, cap.
15. circa ſi-
nem.
Tom. 1.*

ætas : in iuuenibus debet facere huius oneris grauitas. Quartò, quia in iuuenibus corpus est in ſuo robore : & ſanguis in feruore. Vnde corpus niſi opprimatur onere laboris, dominari vult ſpiritui & non ſeruire. Iuuenibus neceſſaria eſt virga correctionis : & onus laboris. Cibaria, & virga, & onus aſino : panis & diſciplina & opus ſeruo, corpori ſcilicet ad ſeruiendum ſpiritui dato. Hugo de S. Victore: Iuuenis in otio, eſt quaſi iumentum ſine iugo. Quatuor ſunt ſigna bonæ ſpei in iuuenē: ſcilicet amor laboris, taciturnitatis, corporis continentia, & verecundia. De tribus vltimis dicit Anſelmus: In iuuenē tria notantur, quibus ad proſperitatem venturus prænoſcitur. Hæc autem ſunt taciturnitas, corporis continentia, & verecundia.

Quod obſtinatio multum cauenda ſit ſeni.

*Lib. 2. de
clauſtro a-
nima, cap.
15. in prin.*

TEmpore ſenectutis ſpecialiter timenda eſt obſtinatio. vnde inter abuſiones clauſtri enumeratur ſenex obſtinatus. Hugo de S. Victore: Inter abuſiones huius ſæculi, maior eſt ſenis obſtinatio: qui morti proximus, mortis non abhorret aduentum: qui quaſi ad oſtium mundi huius foris ſpectat, non tamen vitæ præſentis attendit egreſſum: nec ingreſſum futuræ vitæ deſiderat. Audit nuncios mortis: & credere non vult eis. Tres ſunt nuncij mortis: caſus, infirmitas, & ſenectus. Caſus dubia: infirmitas grauias: ſenectus certa nunciat. Caſus nunciat mortem latentem: infirmitas apparentem: ſenectus præſentem. Ex incertitudine mor-

tis timor: ex infirmitatis grauitate, dolor: ex certitudine senectutis non obstinatio, sed humilitas & afflictio sequi deberet. In senectute maiori discretione opus est. Gregorius: Tanto debet esse quisq; in sui regimine cautior: quanto fuerit ætate prouectior. Periculosa est insipientia in fine vitæ. Illam enim nulla corrigit sapientia. Frequenter hæc insipientia inuenitur in illis, quos mundus reputat sapientes. Vnde de cupido & auaro legitur: In nouissimo suo erit insipiens. Sapientia verò in fine vitæ multum est utilis. Stultitias enim præcedentis vitæ corrigit. Obstinatio in sene, ideo periculosa est, quia in eo ætas senilis ad duritiam facit, & vt frequenter longa assuefactio ad malum.

Hier. 17.

De pertinentibus ad diuersos status religionis.

CAPVT II.

IN statu incipientis debet intendere claustralis destructioni vitæ secularis, & extirpationi vitiorum. destructio verò vitæ secularis omnimodo non fit subito. Vnde Gregorius in moralibus. Conuersionum initia bonis moribus malisque permixta sunt: & noua iam per intentionem agitur, & vetus adhuc vita ex vsu retinetur. Et notandum quod quinque de causis accidit, quod in eo qui ingreditur religionem, vita vetus nõ destruitur. Vna causa est, quia per longam consuetudinem vita secularis quasi in naturam versa est. Cõsuetudo enim est quasi altera natura: Si mutare potest Æthyops pellem suam, & pardus varietates suas, & vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum. Prouerbum est:

Hier. 13.

Pro. 22.

Eccl. 10.

est: Adolefcens iuxta viam fuam etiam cum
 fenuerit, non recedet ab ea. Languor prolixior
 grauat medicum. Secunda cauffa eft laxitas mo-
 nafterij. Sicut ferpens non in foramine lato, fed
 arcto veterem pellem deponit: fic in monafte-
 rio illo mores feculares non deponuntur, in
 quo fratres fecundum fuam voluntatem viue-
 re permittuntur. Tertia cauffa eft defectus do-
 ctinæ. In Pſal. Lex Domini immaculata con-
 uertens animas. Lex Dei eft vt ignis ad quem fit
 cordis liquefactio, vt priori forma amota, fiat
 nouæ formæ imprefſio. Nunquid non verba
 mea ſunt quaſi ignis ardens? In dextera eiuf-
 gnea lex. In Pſal. Ignitum eloquium tuum ve-
 hementer. Anima mea liquefacta eft, vt dilectum
 locutus. Quarta cauffa eft defectus boni exem-
 pli. Seneca. Longum iter per præcepta; breue et
 efficax per exempla. Exemplum bonum ſe ha-
 bet, vt forma exemplaris, quæ multum valet ad
 hoc, quod aliquis nouitatem vitæ aſſequatur.
 Quinta cauffa eft defectus bonæ voluntatis, quæ
 eft, quaſi quædam informis materia omnium
 bonorum in religione. In ſtatu incipientis mul-
 tum eft neceſſarius timor Domini: qui mala
 quæ iam ſunt, expellat: & his quæ nondum ſunt
 reſiſtat. Bernardus in ſerm. Ante omnia nouiti
 timor Dei neceſſarius eft, quo nimirum peccata
 præterita poſſint delere, & cauere futura. Ti-
 mor enim Domini (vt ait Scriptura) expellit pec-
 catum: ſiue quod commiſſum eſt, ſiue quod
 tentat intrare. Expellit hoc, pœnitendo: illud, re-
 ſiſtendo. Si timor deſit, nec peccata, quæ erant
 expelluntur: nec peccatis reſiſtitur. Et ſic de hi
 qua

Hier. 23.

Deut. 33.

Cant. 5.

*Epist. 6. à
medio.*

quæ pertinent ad diuersos status religiosorum,
patet.

*Quòd valde reprehensibilis est religiosus, qui
in religione malè viuit.*

ET notandum valde reprehensibilem esse
eum, qui in religione malè viuit. Quia aut
in sæculo malè vixerat vel bene: si bene, valde
reprehensibilis est, quia malè viuit inter bonos,
qui bene vixerat inter malos: & inter innocen-
tes innocentiam amisit, qui inter nocentes eam
seruauit. Si verò in sæculo malè vixerat, & me-
tuens ne incideret in manus Dei viuentis, car-
cerem claustrum spontaneè sibi elegerat: valde fa-
tuus est, cum Dominum carceris in carcere of-
fendit, & funem peccati, quo in inferno suspen-
datur, quem in eo misericordia Domini diru-
perat, resumit: & qui dirumpenti vincula sua sa-
crificium laudis sacrificare debuit: pro laude
contumeliam reddit. Dederat ei Dominus lo-
cum pœnitentiæ: & ipse abutitur eo in superbi-
am. Dei benignitas adduxerat eum ad pœniten-
tiam: ipse verò thesaurizat sibi iram. Non timet
ibi peccata perpetrare: vbi perpetrata in sæculo,
debit corrigere. Misericordiæ quoque Domi-
ni illudit: qui ei pœnam æternam, cui etiam pro
minimo mortali quod fecerat, adiudicaturus
erat, in pœnam momentaneam commutauit.
Item valde reprehensibilis est: qui Deo negligit
reddere vota illa, quæ distinxerunt labia sua.
Non enim onus religionis ei nolenti impositum
est: sed post experientiam & deliberationem, ab
eo spontaneè assumptum. Ipse fuit largus pro-
missor:

P

missor:

Actor. 5.

missor: sed redditor est auarus. Ipse diuisor in-
quus, qui sua dedit Deo, se verò dat diabolo. Ipse
mentitus est Deo: quod non est parum pericul-
sum: sicut ostenditur Actor. 5. Cur (inquit Petrus
Ananiæ) tentauit sathanas cor tuum, mentiri
Spiritui sancto? Non es mentitus hominibus sed
Deo. Audiens autem Ananias hæc verba, ceci-
dit & expirauit. Ipse Deum irrisit: cui non solum
quod promisit. De qua irrisione loquitur B. Bernardus

*Cap 58. post
medium.*

nedictus in Regula sua, dicens de illo qui pro-
fessionem fecit, quòd si aliquando aliter fecerit
à Deo se damnandum sciat, quem irridet. Tale
merito in futuro à Deo irridebuntur, secundum
illud: Qui habitat in cælis, irridebit eos. Despe-
xistis omne consilium meum, & increpationes
meas neglexistis: ego quoque in interitu vestro
ridebo. Item talis reprehensibilis est, quia illud
negligit, quod cunctis mundi amabilius præ-
legit. Ille verò qui pro Deo mundum reliquit,
Deum amittit, omnia amisit. Ipse verò similis est
negotiatori, quærenti bonas margaritas: qui in-
uenta vna pretiosa margarita, vendit omnia
quæ habuit, & eam emit: & postea eam proci-
cit. Ipse quasi inter duas fellas cecidit ad terram

*Psal. 2.
Pro. 11.*

Bernardus loquens cuidam malæ sanctimonio-
si: Deum, inquit, repellens, & à seculo repulsi-
inter duas, vt dicitur, fellas corrueras: nec ita
que Deo viuebas, quia nolebas: nec seculo quæ-
non poteras. Frequenter debent habere in cor-
de suo, qui mundum reliquerunt, & monaste-
rium intrauerunt, illud verbum Petri: Ecce
nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Quis
ergo erit nobis? Mira fatuitas est, cum aliquis
ami-

*Epist. 114.
circa med.*

Matth. 19.

amicum illum, pro quo patrem & matrem & omnes alios amicos carnales requirit: à quo omnia bona recepit, & plura erat recepturus, inimicum sibi reddit: & pertinaciter offendit. Qui in monasteriis malè viuunt, deberent frequenter dicere Domino illud: Omnia in te habentes, te non debuimus dimittere ire à nobis. *Thob. 19.*

Item valde reprehensibilis est, qui in monasterio malè viuit, vbi non solum bene, sed etiam melius viuere debuit. Ipse verò è contrario non solum viuit ibi malè: sed etiam valde malè. Tales enim vel sunt valde boni; vel valde mali: vel sunt dæmones, vel sunt angeli. *Augusti- Epist. 137.*

Epist. 137. Non inueni meliores, quàm qui in monasterio profecerunt: nec expertus sum deteriores, quàm qui in monasterio defecerunt. Multa verò sunt quæ ad magnitudinem malitiæ eius qui malè viuit, facere videntur. Primū est loci sanctitas. Secundum bonorum societas. Tertium bene viuendi oportunitas. Quartum, quòd à Deo prouisionem accepit. Quintum est professio, quæ præcessit. Sextum est, quòd ea, quibus indignus est, facere præsumit. Septimum, quòd locum vnius boni viri occupat. Octauum est, quòd eos à quibus beneficia recipit, defraudat. Nonum, quòd pœnis, quibus similes sibi puniti sunt, non terretur. Decimum, quòd propter damnum quod incurrit, à peccato non cohibetur. Sanctitas loci multum aggrauat peccatum. Vnde dicitur: In terra sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Dñi. *Isa. 26.*

Hier. 2. Multum displicet Saluatori, cū contaminantur loca salutis deputata. De qua cõtaminatione cõqueritur.

*Iob. 1.**Ioan. 6.*

tur. Contaminastis, inquit, terram meam. Multum etiam aggrauat peccatum, societas bonorum. Qui malus est inter bonos, est sicut Iudas inter Christi discipulos: & sicut Sathan inter Deos filios. De quo: Cum venissent filij Dei, & assiderent coram domino: affuit inter eos & Sathanas, id est, aduersarius, qui saluti aliorum aduersatur: vel eos defraudando adiutorio quo eis facere debuit, vel eis contrario gressu intendendo, eundo scilicet in infernum, aliis eundo in paradysum: vel eos scandalizando. Saluator Iudam diabolū vocauit, qui inter bonos malus fuit. Nonne vos duodecim elegi? & vnus vobis diabolus est. Itē oportunitas bene viuere quam habet aliquis in claustro bene disposita multum aggrauat peccatum malè ibi viuere. Non solum enim fructuosius, sed etiam iocundius posset bene viuere, quàm malè. Vnde Bernardus loquens de illo verbo: Confundamini omnes iniqua agentes superuacue, dicit: Non superuacue iniqua agit, qui non tantummodo fructuosius, sed etiam iocundius Deo seruire poterat, quàm mundo? Maior est pena quam habet religiosus, dum peccatum procuratur in stimulo conscientie qui sequitur, & in erubescencia quam habet cum deprehenditur & in pœnitentia quam facere compellitur: & in timore quem habet ne deprehendatur: quàm in iocunditas quam habet, cum peccatum perpetratur. Præterea si bene viueret, interiore iocunditatem haberet: in custodiendis enim mandatis Dei, est retributio multa. Sed sicut dicit Gregorius. Vesana mēs plus se assequi aspe-

caru

carnaliter, quàm tenere blanda spiritualiter,
 gaudet. Habentes manna, illud fastidiunt: & cæ-
 pas desiderant, quæ non sine lachrymis come-
 duntur. Prouisio etiam quam à Deo recepit,
 multum aggrauat. Proditor enim est, cum eum,
 à quo vestitur & pascitur, impugnat. De illo po-
 test dicere Dominus illud: Ecce manus traden-
 tis me, mecum est in mensa. Si inimicus male-
 dixisset mihi, sustinuissem vtique. Tu verò ho-
 mo vnanimis, dux meus & notus meus, qui si-
 mul mecum dulces capiebas cibos. Canis illum
 amat à quo pascitur, quando alios valde perse-
 quitur. Cane ergo deterior esse videtur, qui be-
 neficiis, quæ à Deo recipit, ab eius impugnatio-
 ne non cohibetur. Item non parum aggrauat
 peccatum professio quæ præcessit. Non enim
 parua culpa est, cum ille qui se Deo obtulit, se
 Deo postea aufert, & diabolo se offert: & qui
 corpus suum, per votum continentia, Deo ex-
 hibuit hostiam viuentem, sanctam, Deo placen-
 tem, post per incontinentiã illud diabolo exhi-
 bet hostiam morientem, execrabilem, & foeten-
 tem: & vitæ angelicæ quam ducere proposuit,
 vitam porcina præponit. Bernardus. Quid de-
 corius castitate quæ de homine angelum facit?
 E contrario, quid immundius luxuria quæ an-
 gelum in porcum conuertit? Multum etiam fa-
 cit ad magnitudinem malitiæ, quòd ea, ad quæ
 indignus est, præsumit. Præsumit enim stare in
 conspectu Dei: cum Deus vsque ad mortem ira-
 tus sit ei; quod non est parum periculosum, cum
 ipse dicat: Sanctificabor in his qui appropin-
 quant mihi, id est, sanctus in eis apparebo, vin-

Luc. 22.

Epist. 42.
habet priso-
ra Verba.

Leuit. 13.

dictam de malis eorum sumendo. Ad magnitudinem etiam malitiæ eius facit, quòd locum vnius boni viri occupat. vnde timendum est, ne à Domino citius per mortem abscindatur, locus ab eo expediatur; cùm scriptum sit de ficulnea sterili. Succide eam: vt quid etiam terræ occupat? Item ad magnitudinem malitiæ eius facit, quod illos decipit, à quibus beneficia recipit, qui sunt vel in periculo mundi, vel in igne purgatorij: quia cum ipse Deo displiceat, debito modo eis non subuenit. Cum enim is displicet qui ad interpellandum mittitur: irati animus ad deteriora prouocatur, vt dicit Greg. Itē ad magnitudinem malitiæ eius facit quod poenis illis nō terretur, quibus peccata in sacris locis commissa, punita leguntur. Commissum fuit peccatum superbię in cœlo: pro quo tam nobilis creatura est aternaliter damnata. Videbam sathanā sicut fulgur de cœlo cadentem. Commissum est peccatum inobediētiae in paradiso terrestri: pro quo totum genus humanum exilio & morti adiudicatum est. Commissum est peccatū carnalis amoris in illa congregatione, in qua Christus præfuit: Iudas enim illud quod dandū erat pauperibus, dabat vxori & filiis: quod peccatum fustipendio punitum est. Commissum est peccatum proprietatis in cōgregatione illa cui præfuit Petrus: quod morte subita in Anania & Saphira punitum est. Item ad magnitudinem malitiæ eius facit, quod à peccato non cohibetur propter damnum quod incurrit. Propter hoc enim bona religionis amittit: Qui assumit crucem transmarinam, & est raptor vel latro, cauet à peccato, ne pere-

Luc. 13.

Lib. 1. pastor. cap. 11. parum à princip.

Luc. 10.

Actor. 5.

peregrinationis fructum amittat: quanto magis debet cauere qui est in religione, ne bona religionis amittat, cum religio præualeat cuiuslibet peregrinationi? Cuius signum est, quod in religionem potest commutari. Deteriores etiam furibus videntur & raptoribus, qui religionem intrant, & se non emendant. Qui malus est in religione, est quasi malus latro Christum in cruce blasphemans opere, licet non sermone: qui de cruce claustrum transiturus est ad cruciatum inferni. Talis valde infelix est, qui in Dei vinario siti moritur: in eius seruatorio corrumpitur; & in loco salutis damnationem suam operatur. Quod alij esset aurum, est ei plumbum: onus scilicet religionis. Quod esset salus & vita alij, ut Sacramentum altaris: est mors & damnatio ipsi. Qui est in statu incipientis, cum experientia ei desit, non debet de sensu suo confidere: sed alienum sensum suo præponere. Quantum in se est, rigorem religionis debet amare: alienam tamen dispensationi acquiescere; & præ suorum interiorum diligentia, sua exteriora negligere. De primo dicit Bernardus. Obsecro vos nouelle plantationes Dei, vos, qui nondum habetis exercitatos sensus ad discretionem boni & mali: nolite sequei cordis vestri iudicium: nolite abundare in sensu vestro, ne vos, tanquam rudes adhuc, versutus ille venator decipiat. De secundo idem Bernardus. Feruorem nouitiorum non decent illam misericordes in seipsum discretionem, & discretionum dispensationes, facilesque indulgentiam suo iudicio; non tamen recusandam sunt alieno. Idem: A nouitio in

*Serm. 3. su-
per Psalm.
Qui habi-
tat. paulo a
princip.*

P 4 seipsum

seipsum rigida debet esse censura, & discreta seueritas: ad regentem, vel consulentem paternam vel fraterna charitate & pietate, lenis & obediens in omnibus humilitas. De tertio, Idem: Fa-

Serm. 63. super Cant. post med.

teor, placent in nouitiis, neglectior utique is, qui foris apparet, corporum cultus & vestium, sermo rarior, vultus hilarior, aspectus verecundior, incessus maturior. Qui in statu proficiens est, defectus suos debet considerare: & pro illis supplendis Deo in oratione instare continue. Proficiens quasi duobus pedibus debet ascen-

In Psal. 122. Et serm. 15. de Verbis apost. in fine.

Serm. 15. de Verbis Domini. in fine. Et in Psal. 69. paulo à fine.

dere: meditatione scilicet & oratione. Meditatio quid desit docet: oratio ne desit obtinet. Augustinus. Semper tibi displiceat quod es: si vis peruenire ad id quod nondum es. Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixisti, sufficere peristi. Idem: Adde semper, semper ambula semper profice: noli in via deficere: noli retro redire, noli deuiare. Remanet, qui non proficit retro redit qui ad ea reuoluitur, unde iam abscesserat. Si attentas stare: ruas necesse est. Et notandum quod quanto aliquis plus proficit, tanto defectus suos amplius agnoscit: & malis suis magis irascitur. Gregorius. Sancti viri qui altius apud Deum virtutum dignitate proficiunt, eo subtilius indignos se esse deprehendunt quia dum proximi luci fiunt, quidquid eos in seipsis latebat inueniunt. Idem: Quanto plus proficimus in cognitione, tanto nobis indignamur amplius de peruerso opere. Quæ congruant ei qui est in statu perfectionis, ostendit Bernardus his verbis. Perfectus reputabitur, in cuius anima hæc tria congruenter atque oportune

Li. 18. moral. cap. 34. habet similia.

Hom. 10. in Ezech. circa finem. Serm. 57. super Cant. non remote à fine.

cor-

concurrere videbuntur, scilicet vt & gemere pro se, & exultare in Deo nouerit, simul & proximorum vtilitatibus potens sit subuenire: placens Deo, cautus sibi, vtilis suis. Ad statum etiam eius qui perfectus est, pertinet, imperfectionem suam agnoscere, & perfectionem appetere, & imperfectionem proximi patienter tolerare. Gregorius in moralibus. Magna est perfectio, suæ imperfectionis cognitio. Augustinus. Quantum mihi videtur, in ea quæ perficienda est iustitia, multum in hac vita proficit, qui, quàm longè sit à perfectione iustitiæ, proficiendo cognouit. Bernardus. Nemo perfectus, nisi qui perfectior esse appetit. Idem: Ita nimirum solet diuina pietas, conseruando humilitatis gratiam, ordinare, vt quantò plus quisque proficit, eò minus se reputet profecisse. Nam vsque ad extremum spiritualis exercitij gradum, si quis tantum proficit, aliquid ei de primi gradus imperfectione relinquatur: vt adhuc vix sibi illum adeptus videatur. Greg. Ille verè perfectus est: qui ad imperfectionem proximi impatiens non est.

*Lib. 5. mor.
cap. 14. in
princip.*

De quibusdam inordinationibus claustris.

CAPVT III.

VLtimo in hoc quarto libro notandū, quòd in aliquibus claustris vbi cuncta ordinatè fieri deberent, loco ordinationis est confusio infernalis, vbi nullus ordo. Quod deberet esse intus, est extra. quod deberet esse sursum, est deorsum: quod deberet esse dextrum, est sinistrū: quod deberet esse ante, est retro: quod deberet esse medium, est extremum. Primam inordinationem, facit hypocrisis: cum scilicet clau-

P 5 stra-

strales faciunt opera sua, vt videantur ab hominibus: & qui puritatem deberent quærere interiorius, quærunt eam exterius: à saluatore maledicti. *Matth. 23.* Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui mundatis quod foris est, &c. Væ vobis qui similes estis sepulchris dealbatis, putredine plenis. *Ibid.* Secundam inordinationem facit subditorum superbia. Quasi pedes sunt sursum, & caput deorsum, cum oportet quod prælatus quærat à subditis, quod Saluator quæsiuit à cæcis. Quid vultis vt faciam vobis? Potius congrueret subdito, quod dicit Paulus Saluatori: Domine quid me vis facere? Tertiam inordinationem facit cupiditas & auaritia. Quasi faciem præposteram habet religio, in qua temporalia spiritualibus præponuntur: Facti sunt retrorsum, & non ante. *Matth. 20.* *Actor. 9.* Quartam inordinationem facit sapientia carnis inimica Deo: quod dextrum est, sinistrum reputans: pœnitentiam valde fructuosam crudeli miseratione minuens: quæ virgam disciplinae abiicit, quam osculari debuit. Bernardus. Si pœnitentia nostra crudeli miseratione minuitur, paulatim gemmis corona nostra priuatur. Quintam inordinationem facit negligentia, quæ est in hominibus præposteris, qui vix in fine vitæ faciunt, quod in principio conuersionis suæ facere debuerunt. Sextam inordinationem facit prælatorum malitia, qui cum exemplo Saluatoris in medio fratrum esse deberet, in parte se ponunt. Ex quibus omnibus extat versus: Intus adest, extra quod sursum, sitq; deorsum. Anteretro vertunt, quod dextrum, sitq; sinistrum.

Finit quartus liber.

LIBER